GABRIELIS MADELENETI CARMINA.

Nova Editio auctior.



PARISIIS,

Sumptibus Fratrum BARBOU, viâ Jacobæâ propè fontem S. Benedicti sub Ciconiis.


M. DCCXXV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



LUD. HENR. LOMENIUS BRIENNÆ COMES REGI A CONSILIIS, ACTIBUS ET EPISTOLIS


LECTORI.




NIſi ſuprema Madeleneti voluntate adigerer, nihil hic mihi præfandum exiſtimarem; ſed cum ejus Nepos, dignus hæres locupletiore Patruo, chartas errantes defuncti, mihi ex deſtinato attulerit: injurius viderer litterarum ſtudiis, ſi quæ fidei meæ commiſſa premerem invidioſe. Itaque juris tui

facio, emuncte Lector, opera Poetica Lyrici Vatis, nam in iis solus fuit aliquis, non tam Philoflaccus, quam Flaccomanes. Non putavit improbe factum, dum in suo Venusino ingeniosus videretur; sic ratus vela famæ largius daturum, quam si totum ore libero siccaret Permessida. Nihil ex eo quod non demorsos ungues sapiat: plus arte & studio quam ingenio valuit, extemporalitatis capitalis hostis, suorum laborum editor lentulus, judicii & stili purus. Odi profanum vulgus & arceo, cujus maligni susurri jam aures meas personant, quasi lascivus Faunorum grex hic ubique luxurietur, & gens

mollis amorum cum Cyprigena procaciter ludat. Crede mihi, Lector, castigatione stili improbis rumoribus Poeta sucurrit: ex eo non minus laudandus, quam quod ab omni maledicentia abstinuerit, in nullum unquam stricto Iambo, satiricæ dicacitatis omnino expers. Vale, & ut Vates æternum gaudeat mecum apprecare. Sit illi terra levis, nec malis carminibus culti Madeleneti tumulus oneretur.





JOANNIS MADELENETI
GABRIELIS EX FRATRE NEPOTIS
PRÆFATIO.

CUM omnes quicumque literarum & Poetici leporis aliquem sensum habent, Gabrielis Madeleneti Patrui mei & μακαρίτου carmina ita semper probarint, ut nihil iis elegantius, nihil perfectius putent; mihi eorum hoc tam pusillum volumen edenti, imprimis de eorum paucitate præfandum reor: quæ te Lector (ut spero) aut sola, aut gravius offendet. Quotus quisque enim non ægre ferat hanc optimorum versuum penuriam? Quisve non ipsius Authoris Manibus propé irascatur, quod tam pauca scripserit, qui tam eximia scriberet. Alii negligentiæ accusent, qui ita parce Musis quas tam propitias haberet, operatus sit: Alii invidia has felicioris naturæ opes, repressa ultro Deorum munera indignentur: omnes clament, ab illo ingenio plura debuisse proficisci, à quo omnia summa expectarentur. Quibus querelis breviter, prout potero, satisfaciam, Non invidum, sed magnum cessatorem Patruum fuisse fateor: Ingeniosus fuit, eruditus fuit; sed & omnis ambitionis & gloriolæ contemptor, quibus rebus ferme homines

ad multa scribendum impelli solent. Cui & illud fortasse obstitit, quod vir acerrimi judicii, & quod sequitur, natura μεμψίμοιρος & calumniator sui vix unquam sibi satisfaceret, dum quæ animo conciperet, nullis verbis æquari posse intelligeret: ut magnitudo cogitationum ei silentii sæpe causa esset, quarum mediocritas, & cæcus sui amor plerisque importunam verborum fœcunditatem afferat. Fieri etenim non potest, ut qui multa scribat, parem in omnibus gratiam assequatur. Hancque adeo causam fuisse arbitror, cur Terentius tam pauca, tam pauca Catullus & Horatius scripserint, cum interim plebs Antimachi crassa volumina miraretur; cum & Lucilius, is qui primus condidit stili nasum, facetus quidem scriptor, & salsus imprimis, sed parum diligens, ducentos ante cibum versus, totidem cœnatus, ut ait Horatius, funderet; cum denique Cassius, eodem teste, rapido ingenii æstu, & torrente vena, scriptis tam multas capsas impleret, ut iis post mortem ambustum ejus cadaver dicatur. Proinde assentior Scaligero, cui pluris est pusillus Catulli Atys, quam dena millia tumorum, quibus crepant buccæ Cordubenses. Nempe, inquit, pauca illa Terentii & Horatii judicio selecta, si aliorum accessione aucta essent, fortasse nonnihil gratia ex repetitionibus amissura erant. Hæc reputans, Patruus, copiæ minus studuit quam elegantiæ & nitori, quem eum præstitisse nemo æquus insi-

ciabitur. *Quid si Lyrici carminis cultor, quod ferme in magnorum virorum laudibus celebrandis versatur, non multos reperit quos citra assentationem laudare posset? Cursores Græciæ Pindarus, Pugiles, Athletas laudibus extulit, quos Madelenetus si illis temporibus vixisset, ne spectare quidem dignatus fuisset, nedum eos versibus celebrandos putasset. Quid igitur; amores suos Horatii aut Anacreontis more decantaret? At modestior fuit, & reverentior Christiani ritus, quam ut illis furoribus animum aut chartas impleret. Solis itaque egregiis virtutum exemplis intentus, quæ sane non multa vel felicissimis seculis contingunt, cum perpauca litteris digna reperiret, non potuit multa scribere. Hæc igitur paucula prudentissimi viri judicio selecta æqui bonique consule, Lector, quæ adhuc pauciora essent, si ejus supremis mandatis paruissem: ea enim tantum legi voluerat, quæ jam ipse vulgasset, reliqua supprimi: Cui judicio ejus & voluntati ne omnino obsequerer, Ludovici Henrici Lomenii illustrissimi Briennæ Comitis intercessit authoritas, quem ipse moriens suorum omnium fieri voluit judicem; qui pro illo amore quo Patruum meum complectebatur, excussis ejus scriniis ac recensitis poematis ἀνέκδοτα quoque illa contra morientis trepidationes in lucem asseruit. Quibus tamen Astericum * appingendum censuimus, ut ab antea editis distingui possint.*

PRÆFATIO.

Huic tu præstantissimo Viro (Lector) quantum te non pœnitebit Madeleneti lucubrationum, debes. Quippe is has ejus reliquias ut colligerem author mihi fuit, meumque animum ejuscemodi officii insuetum; & labantem confirmavit. Cui proinde hic libellus dicandus erat, nisi ei sua omnia author pridem consecrasset: qui & ipsius laudes bene meritorum memor integro carmine cecinisset, si nobis illum Fata paulo serius invidissent. An igitur nunc ejus patrocinium Patrui scriptis per Epistolam peterem, quem ipse Patruus olim tam præsentem suarum scriptionum vindicem expertus esset. Qui cum ante aliquot annos carmen quod Epistolæ vicem suppleret, Abbatis Chavinii egregii cum & magnæ spei Adolescentis Thesibus inscribendam fecißet, idque opusculum ineptus quidam literator plagio tentare ausus eßet, non tulit generosus Comes, versusque surreptos amico restituit; de qua re monitum ejus habes hic cum ipso carmine, humanitatis plenissimum, tantæ autem elegantiæ & nitoris, ut ipsarum Musarum manu exaratum videri possit.





GABRIELIS MADELENETI
ELOGIUM
P. PETITO Scriptore.

QUI ingenia uti alias res, certis temporibus & locis alligant, vel unius Madeleneti exemplo confutari possunt, qui nec felici Augusti ævo natus, in quo quidquid Romana facundia perfectissimum habuit, effloruisse dicitur; neque verò illis vallibus in quibus Hesiodo Musæ apparuerunt; non illa civitate quæ Pindarum extulit, non eandem denique quam Horatius, patriam natus, sed inter immania Eduorum & Nivernensium querceta, superiore sæculo genitus, omni poetico lepore ac lyricis imprimis versibus pangendis ita excelluit, ut non tantum Græcorum, sed & Horatii incomparabilis Vatis in eo genere gloriam æquasse dicatur. Nihil enim Madeleneti Carminibus cultius; nihil illis virtutibus quas celebravit, dignius; nihil ad eorum Heroum, quorum facta decantavit, commendationem magnificentius. De quibus priusquam dico, nonnulla de ortu ejus, vita, moribus, forma, obituque breviter, prout fert instituti ratio, perstringenda sunt. Etsi enim fortuita illa sunt, & cunctis communia, tamen inter magnorum virorum laudes prolata non parum delectant, quòd eorum animi, si non formam expressam, saltem umbram & memoriam habeant. Natus est Gabriel Madelenetus in obscuro Eduorum oppido, quod vulgò S. Martinum de Podio appellant, anno instauratæ salutis circiter M. D. LXXXVII. ex honestis valde parentibus. Namque

ejus matrem Tuſſinam cognomento Clericam, ornatiſſimi viri Philippi Clerici, qui nunc in Municipali Altiſſiodorenſium Judicum conſeſſu Principem locum obtinet, Sororem fuiſſe accipio: Patrem autem Henricum, licet illis diſciplinis non excultum quæ ab humanitate nuncupantur, tamen & humaniſſimum fuiſſe, & ſingulari apud ſuos prudentiâ cognitum, quàm ſanè cùm in omni vita, tum maximè Liberis, quos plures ſuſtulit, educandis præſtitit. Qui cum mediocri re & fortunâ eſſet, tamen nullis ſumptibus pepercit, quos ad Liberorum inſtitutionem neceſſarios putaret. Hujus optimi Parentis curâ Gabriel hic de quo agimus, qui fratrum natu maximus erat, ineunte ætate Nivernum ad capiendum ingenii cultum miſſus, in Patrum Jeſuitarum contubernio primis litterarum ſtipendiis meruit. Dehinc ad Bituriges tranſlatus Philoſophiæ & Juriſprudentiæ operam dedit. Theologiam quoque attigit; credo, ne ejus expers eſſet Divinitatis. In iis ſtudiis cùm magnum progreſſum feciſſet, & gradum, ut vocant, in jure licentiatûs, in illa celebri Academia adeptus eſſet, demum anno M. DC. X. vertente Luteriam ſe contulit, & ad V. Calend. Febr. ſequentis anni togatæ militiæ in ſenatu nomen dedit, ſeque albo Cauſidicorum inſcribendùm curavit. Quo tamen in ſodalitio non diu permanſit. Nam ſeu illius ſtrepitûs naturâ impatiens erat, quem nec Ovidium, Petrarcam, alioſque complures viros illuſtres potuiſſe ferre conſtat; ſive hominem alti ſpiritus humilium curarum tædebat, ſeu (quod virius judico) illum amor Muſarum inde retrahebat, ſeu qua alia cauſa ei obſtitit, quo minùs ea ſe profeſſione illigari vellet, naturè forum & lites valere juſſit. Nec tamen priùs eo campo deceſſit, quam ſui ingenii & facundiæ præclaram

apud omnes famam aliquot publicis actionibus contestatam reliquit. Hæc quispiam miretur, hominem acutum steriles Musarum rupes, & vacua antra, frequenti foro tot spoliis opimis referto antepofuisse. Cui respondeo multum, inter vulgi sensum & magnorum virorum judicia interesse. Vulgus ea solum spectat, quæ corpori necessaria sunt, escas indumenta, ædes, tum quæ voluptates hominibus architectantur, parum à pecudibus pronis & ventri addictis differens. At viri excellentes, qui sese non belluis modo, sed & vulgò præstare student, tametsi illa quidem paranda intelligunt, tamen non eorum infinita cupiditate & quæstu mancipantur, sed iis mediocriter instructi, dehinc ad rerum pulcherrimarum contemplationem toto pectore studioque feruntur. Quid mirum igitur si Madelenetus, cui natura sublimem animum dederat horum exemplum atque institutum, quàm istorum humiles affectus sequi maluit? An ille vocem Heroum summis virtutibus celebrandis sibi divinitus concessam teterrimis extremæ fæcis mortalium affectibus explicandis venalem haberet? Deorum hæc munera præclarissima fraudi, avaritiæ libidini amentium hominum utenda permitteret? Hos tam illustres Musarum cultus litigantium improbitati velut amictum circumponeret? verò quia Homerus ἀγορὴν κυδιάνειραν *forum viros illustrans* vocat, & ita cunctis persuasum est, Madelenetus si foro caruerit, nulla in luce hominum & celebritate versabitur? Atqui ille ipse Homerus, qui forum fortasse nunquam ingressus fuerat, cui Oratorum claritate cedit? Parumne lucis habet cæcus ille Vates, quod inops, vagus, suo seculo ignotus vixit? Forum viris decus & splendorem conciliat. Fateor; quia iter ad honores & potentiam civilem aperit, quibus rebus qui excellunt,

omni vulgi opinione & admiratione florent. At Sapientes eos honores non magni æstimant, qui authoritati & legibus potiùs, quam homini tribuuntur. Quisquis ingenium habet, & foro, & militiâ, & sacerdotio carere potest. Satis ipsi virtus vel nuda veri splendoris afferet. Enimuero Madelenetum populi comitia, honores, plausus fugientem fama multo clarior prosecuta est, quàm si iis deditus vixisset. Vigebat tunc inter purpuratos EcclesiæPatres illustrissimus Perronius, vir suis virtutibus notior, quàm ut mea prædicatione egeat. Id tantum dicam, neminem neque suopte ingenio clariorem,neque alio æstimando perspicaciorem,aut ornando munificenciorem illis temporibus fuisse. Is, sermonibus qui de Madeleneti singulari virtute circumferebantur, commotus,videre eum cupiit: visum ita amavit, ut familiarem & conjunctissimum habere vellet, nec priùs ei domum & rerum suarum omnium usum offerre desisteret, quàm ille tanti viri humanitate victus, ejus voluntati ut par erat, morem gereret. Mansit itaque apud Perronium Madelenetus circiter biennium :quod tempus non ludo & voluptatibus, ut cæteri Magnorum cultores, sed Sanctorum Patrum atque hospitis sui scriptis legendis consumpsit: cui lectioni ita incumbebat, ut non summam tantùm verborum superficiem lingeret, sed medullam subtus latentem deprehenderet, cùm quidem Perronius hanc ejus solertiam admiraretur, palam etiam in doctorum hominum circulis jactaret, non videre se cui Madelenetus rimandis Patrum sensibus deberet cedere; huic artem secretam inesse, qua abstrusissima quæque in libris scrutaretur, & in apertum proferret. Ex quibus planè intelligitur neque industriam Madeleneto, neque occasiones ad rem bene gerendam defuisse, si iis

Artibus intendere voluisset, quibus vel imperitissimi uncta Sacerdotia occupant. Verùm ingenium suum præ cunctis rebus amabat, qui amor (ut ille inquit) neminem unquam divitem fecit. Non erat bonus animum aut vultum fingere; ab omni ambitione alienissimus erat; libertatem cunctis honoribus potiorem ducebat; satis sibi in literis præsidii esse arbitrabatur. Proinde sibi totam ætatem Musarum secretis abditus vixisset, nisi veritus esset, ne in Mæcenatis sui præcipuum erga se studium contumax, vel etiam obtrectator ejus potentiæ videretur, si nunquam ea uteretur. Quocirca anno M. DC. XVII. ejus commendatione Epistolarum officium ordinarium in Regio Cubiculo accepit, ac Regis familiæ abscribi se passus est. In quo sane munere obeundo mira ejus animi constantia extitit. Quippe cum ibi inter Fortunæ mancipia versaretur, numquam tamen fortunam admiratus est, neque illi impotentes affectus quibus Regum palatia inquietantur, ejus pacem turbare, aut Musarum amorem ejus pectore excutere potuerunt. Quin ex illis turbis subinde in solitudines Regiosque hortos meditandi causâ secedebat, vitiisque Aulæ infensus, virtutes ejus, si qua solito clariùs fulsisset, carminibus prosequebatur; quo studio multorum Procerum & Principum amicitiam consecutus est. Imprimis verò magno illi Richelio innotuit, cui sub Rege Ludovico XIII. Rempublicam gerenti, cùm illam admirabilem Oden fecisset, quâ fractas ejus consiliis Heterodoxorum opes, Rupellam receptam mira ante spirituque decantat, tantam illi Heroi de se admirationem concitavit, ut confestim ab eo Consiliarii & Interpretis in lingua Latina Regii munere ornatus fuerit. Dehinc alias complures variis temporibus non minore successu edidit, in quibus hæ maximè

probantur.


probantur. Primùm duæ illæ quas condæo Princi pi invictissimo, alteram dum adhuc Enguiennensium Dux esset, post rocrensem pugnam, alteram post Dunkerkam expugnatam victori composuit; tum autem quam Suedorum Reginæ eximiis animi dotibus supra sexum ornatæ anno M. DC. LVI. obtulit, atque adeo postrema, quâ Julio Mazarino Cardinali eminentissimo, Pacificatori summo, depulsos bellorum motus, Pacemque Regiis nuptiis firmatam gratulatur. Nonnullæ & ad maximum Regem Theodorum, qui nunc incomparabili animi magnitudine & pietate fessis rebus subvenit, ad Petrum Seguierium Franciæ Cancellarium ad Bullionem, ad Buthillerium, ad Balliolum,. aliosque illustres viros ab eodem scriptæ extant. Quin etiam paucissimis ante obitum diebus, cum de Delphini ortu accepisset, animum fugientem ad tam faustum nuncium ita revocavit, ut statim versus lætitiæ suæ testes funderet: quod Carmen extemporale aliis ejus poematis exempli causa inseri placuit, ut omnes intelligant, quid apud egregios cives charitas Patriæ valeat, quæ non morbi ullo cruciatu infringi, non ipsa morte extingui possit. Verùm in his præcipuam ingenii & elegantiæ laudem sibi multorum judicio vindicant Hendecasyllabi, quos vice supplicis libelli Gramontio illustri Polemarcho misit, cujus patrocinio non mediocrem pecuniæ summam mali nominis fraude interceptam recuperaret. Utinam vero illa extarent, quibus languores suos expressit, dum supremo vitæ tempore sævissimis calculi doloribus conflictaretur. Deus Immortalis! quo artificio, quibus coloribus omnes ejus morbi motus & symptomata describit? qua fide & pietate æger Numinis auxilium implorat? Credas animum

ibi esse. Quapropter orandi sunt atque obtestandi majorem in modum qui hæc habent, aut si qui fortè reperient [alicubi enim ab Amicis exscripta latere aut dubito] ne hæc bona situ & tenebris consumi, quàm in manibus & admiratione hominum versari malint. Ac de ejus in eo studii genere præstantia quid attinet dicere? Legantur ejus Poemata, ex horum lectione multò meliùs quàm ex cujusquam oratione qüantus vir fuerit, cognosci potest. Illud tamen non præteribo, quod Nicolaum Borbonium, amussitati ingenii virum & ipsum, quod scripta ejus indicant, Poetam eximium dixisse fama est. Cùm enim Madelenetus, nullis dum scriptis editis notus, ei Carmem quodpiam à se conscriptum legendum dedisset, inusitatio carminis fulgore percussus exclamavit Borbonius, *ubi tu tamdiu latuisti*? Nempe ita semper vel Doctissimis probatus fuit Madelenetus, ut cùm primò se ostenderet omnes mirarentur, non multò ante experimentis & profectu cognitum, cujus plena & perfecta facultas videretur, ceu non studio & labore, sed repentino afflatu Poeta extitisset. Quo minus nunc pro ejus gloria elaborandum est nobis, quæ non scriptis modò sed & continua Eruditorum existimatione & consensu nitatur. Etiam si nullos ejus versus haberemus, tamen eorum admiratio in hominum mentibus hæreret. Quotus quisque enim tamen obtuso est pectore, tam à Musis, tam ab omni humanitate alieno, qui non audierit divinas Madeleneti voces, iisque delinitus & penitus captus fuerit? Quæ hominum politiorum tecta, quis Regiæ Domus angulus, quæ penetralia ejus Carminibus non personuerunt? Quæ nemora, aut rupes, quæ speluncæ tam remotæ perfectos ejus concentus non acceperunt? Frustra igitur verbis commendarem quod sponte omnes lau-


dant, omnique plausus genere celebrant. Potius de fati inclementia querendum esset, quæ supremas optimi Senis in scriptis propriis recensiis cogitationes morte, non quidem immatura, sed tamen importuna, abrupit. Nec enim dubium est quin ejus Poemata & plura & emendatiora haberemus, si ipse iis manum ultimam imponere, ac quæ inchoaverat, absolvere potuisset. Nisi in curia ejus potiùs incusanda est, qui præsenti fama contentus, de posthumâ tam parum sollicitus esset, ut quas opes fudisset, nunquam tolleret; cùm tot alii suas quisquilias summo studio colligant, multoque pumice expolitas omnibus obtrudant. Serò igitur & morte iam imminente sua retractare aggressus negotium susceptum perficere non potuit. Qua cunctatione, quot ejus lucubrationes perierint vix satis æstimari potest. Quin aliquot Gallico idiomate scriptas ab eo Odas vidimus: id his unam ad Richelium Cardinalem, de rebus ad Rupellam gestis, luce non indignam, quas licet edere Amicis ejus doctissimis visum non est, attamen ex his perspici potest, voluisse eum & potuisse de lingua nostra bene mereri, nisi id propositum certis de causis mutasset. Quid reliquas ejus animi & corporis dotes commemorem? Non enim lyricis tantum versibus fingendis felicissimus fuit, sed & ipsius lyræ vel potius citharæ pulsandæ peritus adeo, ut nec doctissimis in ea arte Magistris cederet. Denique nulla ars quæ liberali homine digna esset, ei defuisse ut videtur. Picturæ etiam & Sculpturæ sciens fuit, non ut pingeret, aut sculperet, sed ut earum artium opera cognosceret, in quibus videndis tam subtile ingenium, tam eruditos oculos habuit, ut nihil eum in eo genere lateret. Staturâ fuit procerâ, ore paulo pleniore, optimo corporis habitu, eâ formâ, quæ dignitatem cum quadam gravitate coniunctam

præ se ferret. Morum tanta suavitas inerat, ea in congressibus urbanitas, ut omnes ejus consuetudine mirum in modum delectarentur. Nec enim eorum rationem probabat, qui quoniam sanos Helicone excludit Democritus, corporis cultum negligunt, non ungues, non barbam ponere curant, obsoletis vestibus induuntur, eoque ritu absurdo famam ingenij non vulgaris captant. Contrà Madelenetus quàm in scriptis elegans, tam in vestitu & in omni vita nitidus & concinnus fuit: nihilque adeò cavit, quàm ne nimis. Poeta videretur. Nec verò magis ingenij cultu aut vitæ elegantiâ, quàm innocentiâ & sanctitate insignis fuit: cujus sanctitatis non mediocre illud argumentum est, quòd nulla in ejus carminibus vel minima amoris scintillula exstat, nullum libidinis vestigium apparet, ut potiori jure quàm Virgilius, Parthenias dici mereatur. Quod si dum juvenis esset, aliquem ætati ludum concessit, (quod tamen haud certò affirmari potest) certè tantam in ea re moderationem attulit, tam in reliqua vita abstinens fuit, ut cùm cælebs semper vixisset, vel seuerissimis censoribus suum cælibatum probare posset. Ac nec Baccho (quamquam eum impensiùs quàm amorem coluit) ita operatus est, ut quicquam homine gravi & composito indignum admitteret. Meritò igitur tantis ejus virtutibus nullius non Magnatis fores patuerunt: quibus aperiendis illi Philosopho qui inde θυρεπανοικτὴς dictus est, haud quaquam cedebat. Quin & ad Ludovicum Regem XIV. quoties volebat, facilè admittebatur, qui earum quoque virtutum æquus estimator, privilegia & annuam quingentorum aureorum pensionem ei ab ipsius Parente concessam confirmaverat. Cui pensioni & aliam Richelius septingentorum addiderat, quâ, quamdiu ille vixit, potitus est. Horum exemplo Iulius

Mazarinus annuo mille librarum æris munere suam in eum voluntatem testari voluit. Quid dicam de Ludovici Henrici Lomenij Briennæ Comitis, viri cùm magnæ in Aula dignitatis, tum insignis eruditionis, singulari in eum studio & benevolentia? qui eum non modo vivum ornavit, ingenij ejus & rerum defensor acerrimus fuit, sed & nunc defuncti memoriam sic amplectitur, ut eam sua commendatione ac scriptis ejus recensendis atque conservandis quàm maximè illustrem facere studeat. Verùm ex claris viris qui ipsi cupierunt, nullius amicitia & rebus magis familiariter usus est quàm Claudii Bullionis Lonchenii, cujus illustrissimum Parentem celebraverat versibus, qui eum complures annos & tecto & opibus & omnibus rebus benignissimè fovit. Quocirca & paulò ante obitum cùm in Patriam, suis ut rebus prospiceret, suaque Poëmata emendaret, proficisci statuisset, summum illum & raræ fidei Amicum comitem habuit. Obiit autem Altisciodori anno M. DC. LXI. ad XII. Calend. Decemb. cùm per eam urbem transeuntem Propinqui miro affectu detinuissent, ex duplici tertiana, quæ senilem animam vigesimo ...imo postquam decubuerat, die, quadragesimo ...stquam urbe excesserat, septuagesimo autem tertio aut quarto ætatis anno vinculis exolevit. Elatus est dignâ funeris impensâ, & sepultus in Æde Virginis Deiparæ ejusdem urbis, curâ & pietate Ioannis Madeleneti ex fratre nepotis, qui eum & tecto exceperat, & officiis omnibus viventem, ut debuit, prosecutus fuerat.



ELOGIUM.



AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

D. D.

LUDOVICUM HENRICUM

LOMENIUM

BRIENNÆ COMITEM,

REGI A CONSILIIS,

ACTIBUS ET EPISTOLIS.

Quod Gabrielis Madeleneti dispersa opera in unum colligi curaverit, & insigni elogio donarit.


ODE.


Sic te semper amet Pieris, & favens
Respectet placido lumine Cynthius.
Magni qui teretes Madeleneti
Æterno numeros munere consecras.
Nec longùm pateris, post fera funera
Tam chari capitis (qualis amabiles
Rapti magnanimus Virgilii modos
Augustus rapidis eripit ignibus)
Musam errare, leves carpere & hanc notos,
Mandatam foliis fortè volucribus.
Quæ mox vindice te stabit, & additis
In tutum solido corpore viribus.

ELOGIUM.

Durabit monimentum, inclyte LOMENI,
Phœbo si qua fides, ære perennius.
Doctus quam Tyberis potor, & accola,
Romanæque iocos, & veneres lyræ
Quæ gens cumque colit, nil popularibus
Cantantem numeris, cunctaque Principi
Flacco quippe parem, tollet in æthera.

CAROLUS DU PERIER.






GABRIELIS MADELENETI CARMINUM LIBELLUS.

Ad illustriss. amplissimumque virum

PETRUM SEGUIERUM.

FRANCIÆ CANCELLARIUM

ODE.



Brumpe segnes Caliope moras,
Æqui tenacis mox Seguierij
Per facta, per laudes itura,
Et patriæ decora alta famæ.

Nunc erudito, nunc habili juvat
Dudum tacentem pectine barbiton
Pulsare, Virtutique lectos
Eximiæ properare honores.

Non sumptuoso cui famulum grege
Visenda Signis atria perstrepunt;
Gemmaque fulgentes & auro
Delicias, domus alta condit:

Non cui paventem summovet aulicus
Turbam satelles, dum Luparam frequens
Contendit, & longa clientum
Conspicuus vehitur caterva:

Non liliato qui solio gravis
Summi resedit Consilij Arbiter,
Legumque custos, & severæ
Præcipuus Themidis Sacerdos:

Hunc, o Virorum maxime, protinus
Dignum putarim quem lyra concinat;
Ni mentis ad præclara natæ
Dotibus eniteat canendis.

Nempe immerentes haud semel edito
Fortuna præceps constituit gradu;
Partesque pejorum secuta,
Prætulit accipitres columbis.

At tu Parentis gnaviter optimi
Magnis inhærens passibus, omnium
In te ora convertis, paternæ
In solidum probitatis hæres.

Quin & receptum sideribus Caput,
Si quando amico lumine recreat
Terras jacentes, gaudet a te
Ut meritis potiore vinci.

Nec qui Togato, fallere nescius
Fallique, tantus præfuit Ordini,
Cessisse felix erubescat
Egregio Patruus Nepoti.

Utque id fateri te, tuus & pudor,
Et mos repugnent, qua tamen impetum,
Famæque diſcurſum vagantis
Arte queas volucrem morari?

Sic lætus almo nectare, Gallici
Henricus, heu flos, gloria & Imperi,
Præſentis audit Ludovici
Nobiliora ſuis trophæa.

Sic Prole felix Herculea Pater,
Armandum Olympo ſuſpicit inclytis
Bellique, Paciſque eminentem
Artibus, & Pelago tremendum.

Non illa fati eſt ultima pars tui,
Divis propinquo quod Gener obtigit
Affinis, auguſtoque dignam
Stemmate, Progeniem daturus.

Huic rite caſtis ſub Penetralibus
Nutrita Sponſo Nympha adoleverat,
Quam mille votis expetitam,
Mille Procis, meruiſſe pulchrum eſt.

Sed me Tuorum quo rapit inſitus,
Flectique habenis impatiens amor?
Dum læta florenti viciſſim
Omina Coniugio precatus,

Tantiſper erro propoſiti immemor?
Te noſtra claris ingenio Viris
Certam ſalutem, ſpem, decuſque,
Et colat, & memoret Camœna.

Seu te ſecundis nixa volubili
Impellet auris Diva pedes globo;
Alterna ſeu votis reflabit,
Non animum quatiat, labantis

Mundi ruinas intrepido pati
More inſtitutum; fluctibus obuia
Rupes ut inuerſo furentes
Deſpicit oceano procellas:

Aut qualis ingens conſtitit ardua
Ceruice Pinus, quam Iovis impotens
Non ira, certantéſque poſſint
Turbinibus ſinuare venti.

Tu bracteata ſollicitus comas
Phœbo merentum cingere laurea,
Te Sacra Muſarum renident
Auſpice, te tribuente Colles

Frondent amœnis ſaltibus, & ſuos
Vates obumbrant; te rutilas vehit
Præbente arenas Hippocrene,
Auriferoſque imitatur amnes.

Te priſca Virtus, te niveo Fides
Gaudens amictu, Juraque & Æquitas,
Cultuſque Honeſti, Veritaſque,
Et Pudor, incolumi vigebunt.

Sed longiori carmine, publicas
Res ordinantem, totque negotiis,
Tantiſque diſtentum morari
Deſine Caliope Jocoſa,

Quid Belga tentet mobilis unice
Secura, noſter quid Batavus paret,
Verſis in antiquum, prementem
Aſperius, Dominum lacertis.

Nec non avito quid profugus Lare
Dux moliatur, præſidio hoſpitis
Fretus, quid infauſtis Iberus,
Quid Socii meditentur armis.

Hæc dum volutas pectore, dum tuis
Heroa curis Richelium juvas,
Nos campus, & ripæ virentes,
Aoniæque tenent Sorores.

Quod si qua nostris cantibus est fides,
Si Numen afflat, Sequanicum brevi
Litus revisetis, perosæ
Austriacas Aquilæ cohortes.

Promissa fatis jamque aderit dies;
Orbis subactus cum tibi credit
Ceras adorabit Sigilli,
Principis effigie verendas.



AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM DUCEM RICHELIUM

ODE.

ORBIS Heroas domiti triumphis
Inclytos, audax memorare Clio,
Nunc mihi totos Heliconis alti
Pande recessus.

Dic modos suaves, quibus eruditas
Applicet grandis RICHELIUS aures,
Dic & acceptos pueris Deorum
Barbite cantus.

At quis imbelli cythara, fugatas
Hostium passim memoret cohortes?
Quis solo æquatas fidibus jocosis
Concinat arces?

Hæc ament quamvis graviore plectro
Facta sacrari, tamen ire certum est,
Qua viam pollens numeris, & arcu
Monstrat Apollo.

Gallicæ custos, columenque Gentis,
Et rei clarum decus, in perennes
Ergo te fastos referat canoro
Pectine Musa.

Quid prius dicat? patriisne fœtum
Dotibus pectus? veneresne linguæ
Melleæ? an dignum Imperio serenæ
Frontis honorem?

An parem Sceptris animum, arduisque
Unice rebus facilem gerendis?
Seu placet belli, sociasve pacis
Dicere leges.

Vividi post hoc aciem loquatur
Ingeni, cœcas procul intuentis
Hostium fraudes, positosque acuto
Lumine casses.

Mentis arcanos tibi dicat uni
Principem sensus aperire, teque
Iactet huic fidum gravibus levare
Pectora curis.

Tot tibi exhaustos per acerba casus,
Ac tot insomnes studio quietis
Publicæ noctes, celeresque narret
Vertice canos.

Senſit hæc Divum monitu Sacerdos,
Cui triplex ardet capiti Corona,
Cum tibi inſignes humeros Latino
Murice fecit.

Flammeum vicit radiantis oſtri
Clara geſtorum ſeries nitorem,
Spemque Romani Patris occupaſti, &
Vota Senatus.

Nam per inſanos Procerum tumultus,
Perque civiles medius procellas,
Tu laboranti Patriæ benigni
Sideris inſtar

Dux bone affulges; micat alba nautis
Qualis illuni Cynoſura nocte;
Jamque ſorbendas avidis carinas
Eripit undis.

Ab ſacris orſus, properas nefandæ
Impios cœtus abolere Sectæ,
Quaſque dejecit maleſuadus error,
Erigis aras.

Vidimus terra, pelagoque fuſos
Navibus fortes, & æquis Britannos,
Rapta queis noſtri ſpolia alta pendent
Fornice Templi.

Vidimus longa, ſtupeant Nepotes,
Æquoris Regem domitum catena?
Et ſuperjectas ſubiiſſe victo
Gurgite moles.

Auſa tot Regum violare Faſces
Urbs adhuc ſtaret, tua ni duello
Fulminans, ſtraviſſet humi rebelles
Dextera muros.

Audiit vastæ sonitum ruinæ
Italum campis equitans Iberus,
Qua suum largo Phaëthonta lugent
Imbre Sorores.

Te per abruptos scopulos euntem,
Fortium delecta manus virorum
Ardet, exultatque sequi, metitque
Obuia ferro.

Impiger canas superavit Alpes,
Et viam Gallus sibi fecit ense;
Nulla victrices potuere turmas
Claustra morari.

Non gelu deformis hyems inerti
Castra tardavit, residesve muris
Abdidit, quanquam Ducibus recepto
More, catervas.

Quid Padi ripis memorem coactas
Cedere Hispanas acies? avitis
Redditam quid te Imperiis, Ducique
Mantua Carlo?

Tum Pater flava Tiberinus unda
Extulit lætum caput, & superbæ
Gentis inuisos tibi, Roma, cœpit
Temnere fastus.

Scilicet regnata diu Capeti
Posteris, heu Parthenope relictos
Mœret, ac duris tibi læsa tendit
Brachia vinclis.

Quique victorem sine fraude Gallum
Novit insuber toties, iniqui
Iussa fastidit Domini, palamque
Lilia captat.

Nempe Regali ſolio decora
Allicit Virtus populos ſequaces,
Et triumphatas ſine clade Sceptris
Adiicit urbes.

Quid quod eventus tibi rite cœptis
Defuit nunquam? pudet ire contra
Namque Fortunam, & Superis probatas
Linquere partes.

Qui rebellantes pavor occuparit
Nancium teſtis, patriis & exul
Sedibus, necnon aliena Princeps
Arma ſequutus.

Atra ceu quando intonuit ſonora
Nube tempeſtas, fugiunt relictis
Paſcuis armenta, vagoque palans
Cum grege paſtor:

Haud ſecus nimbos equitum ruentes
Lotharus, proh! quam tibi Ductor impar,
Fugit, æriſque ignivomi daturas
Funera glandes.

Arx erat, vivo ſolidata ſaxo,
Undique accisis aditu maligno
Rupibus, celſaſque petens minaci
Vertice nubes.

Hanc ſibi extinctæ prope Dux ſalutis,
Et fugæ portum ratus, obſideri
Protinus Gallo doluit tremendas
Robore cautes.

Regis invicti auſpiciis, tuoque
Militans ductu, ſitienſque laudis
Bellicæ Pubes, in aperta geſtit
Ire pericla.

Nec mora, impacto quatefacta moles
Dissilit ferro, penitusque cæsæ
Saxei montis patuere multa
Labe medullæ:

Mox ubi ingestus silici cavatæ
Fomes ad motam rapuit favillam,
Concidit vasto solidus repente
Agger hiatu:

Qualis horrendo fremitu dehiscens
Terra, bacchantes uteri cavernis,
Parturit ventos, trepidoque vertit
Oppida motu.

Per supinatas animosa cautes,
Dum parum vitæ metuit Juventus,
Emicant scalis, manibusque aduncis
Mœnia prensant.

Masculas vires, animique robur,
Impetu fidens male pertinaci
Hostis expavit, positisque Regi
Paruit armis.

Dedita bellax trepidavit arce
Rhenus, & cultor Vogesi trophæis
Additus, nostri veritusque Trevir
Nominis umbram.

Quaque pugnaces gelida sub Arcto
Durat immitis Boreas alumnos,
Celtici per te metus invalescit,
Famaque Sceptri.

Huic & invictum genus ante bello
Gotthus apparet, Tanaisque proles
Horrida, & Dacus, Scythicæque torvus
Arbiter oræ.

Palpitat corde, & genibus labascit
Austrius, nempe exitium sibique,
Et suis præsens, inimica sentit
Arma minari;

Scit viris, scit quantus equis paretur
Sudor, accitos ubi Rex in hostem
Contrahit Regni Proceres, Ducumque
Agmina cogit.

Heu quis adversas acies inivit
Torpor? ut sparsit fuga! prodeuntes
Tot simul campis fera cum moverent
Prælia Galli.

Non ita in fœtus ovium tenellos
Sævit impastæ rabies leænæ:
Aut procul viso lepori, Tonantis
Armiger instat;

Lectus ut densas ruit in phalanges
Gallicæ flos militiæ, retroque
Contudit versos, spoliisque lætus
Ivit opimis.

Omnibus sed me potior triumphis
Admonet GASTO, Patriæ, sibique
Redditus, dum te præeunte fallit
Hospitis artes.

Civibus, Fratri Dominoque raptum
Per scelus Fratrem, tibi res gerenti
Festa gratatur reducem, fremitque
Plausibus Aula.

Hic dies chari Ducis impetrato
Jure solennis reditu, nitentes
Purius soles, retulitque apertis
Otia portis.

Pallet inſtantes capiti ruïnas
Indici magnus populator auri ;
Et reformidat duplicata belli
Fulmina Fratres.

Sic tuis Regni ſtabilita curis
Uſque majeſtas ſtetit , & ruerunt
Æmulæ vires , jacuitque ſectis
Faucibus Hydra ,

Quam nec armatæ domuere quondam
Principum leges , potuitve magni
Sternere Henrici moritura nullo
Tempore virtus.

Cætera æternæ monumenta famæ
Quæ lyra æquarit ? Fora te , plateæque ,
Et novo clarant decorata Divum
Limina ſaxo.

Quos tibi laudum titulos refectum
Arrogat Sacræ Sophiæ Lyceum ?
Quo pias Sorbona magiſtra Veri
Detinet aures.

Hinc ſibi reſponſa petit verendi
Numinis cultu ſuper , abditiſque
Rebus ; hinc leges docilis ſacrorum
Turba reportat.

Vix ego te tranſierim , nitenti
Ædium cultu , paribuſque cælo
Imminens tectis , Richelæa , tanto
Auſpice felix.

Illa naſcentis mihi præter omnes
Oppidi riſit ſpecies ; amœnam
Ductilis vallem ſecat hinc perenni
Flumine rivus;

Explicat densas vetus inde frondes
Silva, non mordax ferit hanc bipennis;
Aut valent torrentis agros inire
Spicula phœbi.

Stemma non mendax generis vetusti
Assidet juxta Domus, & decoræ
Obstupescentes oculos moratur
Ordine molis.

Has tui quondam proavi, Deorum
Sanguis, antiquas posuere sedes;
Et sua deinceps tenuere digni
Stirpe nepotes.

Jam tibi nil non grave molienti
Porticus amplas spatiosa debent
Atria, ostentantque superba longe
Culmina Turres.

Ut juvat magnas animas, suique
Seculi quondam decora, hæc adepto
Fortiter gestis propiora Cælo
Tecta tueri!

Arte molliti lapides, & æra
Hic suis spirant animata Signis;
Fallor? an pictæ tabulis moventur
Sponte figuræ?

Tot viis auctam neque te silebo
Urbium Regina, Caputque Gentis,
Et resurgentes operosiore
Aggere muros.

Æstuat denso fremitu per amplos
Civium proles numerosa vicos;
Et novo ritu positas renarrat
Advena portas.

Quin ubi turpes jacuere tetro
Halitu, cæloque gravi lacunæ;
Te ſalutares medicante præbet
Jupiter auras.

Stravit obſcœnas adeo mephires
Sequana, & juſſo refluens canali
Latius regnat, dominæque circun-
funditur urbi.

Sic & Alcides fera monſtra natus
Perdere, Augiæ ſtabulum fluentis
Lavit Alphei, meruitque Patris
Ducere nectar.

Interim vellens mihi dexter aurem
Cynthius, mitte hæc leviora, dixit,
Quem lyra tendis celebrare, lectos
Poſcit honores:

Numini morem gerere inſtituta
Dulcis o Pimplea gradum reflecte;
Quoque cœpiſti eximias tenore
Deſine laudes.

Seruat ARMANDI, metuitque nutus
Omnis Europe: tibi belluoſi
Militant ponti vada ſerviuntque
Flatibus Euri.

Flebit æternis lacrymis Ibera
Claſſis amiſſum decus, & receptas
Inſulas noſtris, ubi ſalſa findunt
Æquora terras.

Adde quod noſtris ratibus per altum
Nauta ſecurus volitat; tuoque
Munere extremis Patriam reviſit
Dives ab Indis.

Quin ſuus per te nitor obſoletis
Artibus tandem redit, & Camœnis;
Nec premit doctas inhonora vatum
Laurea frontes.

Quid quaterdenos referam Sodales,
Gallici clarum eloquii Tribunal,
Et reflorentes per acuta Martis
Claſſica Muſas?

At gravi mentem furiatus œſtro
Quem tremit Bætis cupiduſque livo
Macerat, noſtro ſcelerata figit
Limite Caſtra.

Per nefax audax ruit omne miles,
Sacra prædatur, pueroſque fari
Neſcios mactans ſobolem parentum
Cæde volutat.

Territus potor Somonæ frementes.
Accolas turbat; capit arma princeps
Civitas: at tu Patriæ timores
Diſcutis unus;

Nam tuis cedens inimicus atrox
Machinis rurſus didicit cruento
Noſtra quid Martis, duce te, valerent
Agmina ludo.

Belgicos, ira ſtimulante, fines
Invicem Gallus populatur acer:
Jamque fatali Auſtriacis potitus
Urbe triumphat.

Regis auguſtum Diadema poſthac
Sabis aſſerta veneretur unda;
Pareat deinceps Domino revictus
Belga priori.

Nec diu Hispanas metuet secures
Atrebas, noster propere futurus,
Martia audentes simul increpabit
Buccina Francos.

Quæque Pompei geris alta nomen
Civitas, quondam sapies, dabuntque
Hostici, pennas quatiente Gallo,
Terga leones:

Oderit sævæ juga servitutis
Cantaber lenis tolerare nostra:
Nec feret longum ambiguos amores
Nympha Pyrene.

Quas virum strages dedit Occitanæ
Gens plagæ cultrix? celerare crudum
Ausa certamen, subitasque præceps
Carpere lauros.

Compede hostili cito liberata
Leucas, infectum mare non suorum
Cædibus risit, sanieque fœdum
Litus Ibera.

Prædicas Regi facinus, Ducemque
Militis functum vice: militari
Auctus hinc sceptro, decoris paterni
Prodigus emptor.

Nempe, te rerum moderante habenas
Rege sub tanto, bene facta merces
Non gradu lento sequitur, manetque
Pœna scelestos.

Te manu, te consilio juvante
Principem, jam nunc dabitur videre
Liliis mistas Aquilas, dolente
Cæsare vinci.

Pensa

Penſa nec duræ peragent Sorores,
Antequam voti potiare ſumma:
Noſque terrarum dominos uterque
Sentïat Axis.

Ut diu Regi aſſideas fidelis
Suaſor, & pulchri ſocius laboris,
Cereos flecti precibus fatigat
Patria Divos:

Pronus ut cæli favor inſtitutos
Proſperet curſus, laterique ſemper
Hæreat Fas, & Decor, & coruſcis
Gloria pennis.

Urbibus, campis facilem miniſtret
Uberi victum gremio beata
Fauſtitas: Bacchum, Cereremque tellus
Aurea fundat:

Non Perhorreſcat nemorum latentes
Aviis ultra inſidias viator:
Et colat tutus bove nota pingui
Rura colonus.

Te ſenes babi, teneræque leſtis
Virgines miſtæ juvenum choreis;
Te nurus, matreſque, virique certent
Tollere ad aſtra;

Publicæ ARMANDUM referant ſalutis
Tindicem, quo jura, pudorque ſimplex,
Quo tenax recti pietas, fideſque
Soſpite regnent.

Te regat late populos ſecundo
Magnus in plures LODOICUS annos:
Sera te parto meritis Olympo
Fata reponant.

Sic tuus dulci procul Urbe vates
Inclytum bellique, domique factis
Nomen ARMANDI patrias docebat
Reddere silvas:

Plura dicturus, mea si juvabunt,
Et lyræ solers tibi Musa cordi est,
Quæ fatigatam recreet jocoso
Carmine mentem.



EQUUS LUDOVICI XIII.

Qui Luteriæ in Area Regia visitur.

TALIS in adversos ruit imperterritus hostes,
Loricam si quando humeris, capitique comantem.
Induerit galeam, laterique aptaverit ensem
Fulmineum LUDOVIX: sic ora oculosque gerentem
Bellator sonipes media in certamina mittit
Tela per & flammas, non ocyor agmina Mavors
Cogere, non campis acies educere apertis;
Sæpius aut fusas vidit dare terga phalanges:
Præruptis castella jugis seu claudere vallo
Profuit; edomitasque, Italis trepidantibus, Alpes,
Et quæcumque alacri perrumpere milite claustra;
Sive opus incinctos hostili indagine cives
Tutari, & pavidas formidine solvere matres,
Protinus ac nostris inimica è finibus arma
Pellere, suasit amor Patriæ laudumque cupido.

Sensit Iber, sensere Aquilæ, quid vivida bello
Dextera, quid valeant excitæ in prælia vires
Magnanimi ductoris, ovat quo Martia pubes
Francigenum, spondetque novos sine cæde triumphos.
Illum etiam, immani dum classe, virisque Britannus
Auxilia obsessis properat; terraque marique
Bellantem expavit; mediisque ambustus in undis
Debita litoribus nostris ludibria soluit
Et puduit laceras Tamesin rediisse carinas.
Tot capitum sic illa ferax tandem occidit Hydra:
Sedati Procerum motus, animique rebelles;
Alta quies populis parta, æternumque resedit
Factio, principibus quæ responsare tot annos
Ausa suis, ipsas rerum tentabat habenas.
Tum passim rediit longo post limine Divum
Religio; nituere prius squalentia fœdo
Templa situ, cultæque aræ; extortique profanis
Sacrorum reditus: nec jam impius auferet error.
Mox versæ ad Socios curæ, quos dura premebant
Servitia; Hispani calcata superbia fastus,
Excussum cervice jugum: porrectaque longe
Regnorum spatia, & Francis sua reddita sceptris
Majestas, nomenque, & priscæ gloria famæ.
Consiliis ARMANDE, tuis, & pectore fretus
Intrepido, hæc gessit, quo res nunc præside floret
Gallica, te fidum expertus, sacrique tenacem
Arcani; quem non æstus, non frigora brumæ,
Corruptæ non imbre viæ, non cana pruinis
Æquora camporum, non exundantia ripis
Flumina, non montes, non invia saxa morentur
Ire citum quo jussa vocant: bellique domique
Egregium, & lætæ per aperta pericula frontis.
Hinc comitem sibi te assiduum, sociumque labore
Ascivit, primosque à se concessit honores,
Et dedit imperii partes implere secundas.

Prospera virtutem evectam fortuna sequuta est,
Inque dies, ducet te, magis aurea lilia crescunt,
Lilia cognati non ultima cura Tonantis.
Claraque ut extarent delati à Principe summi
Muneris judicia, & gratæ vestigia mentis:
Huic visum est sacrare perennem ex ære Colossum,
Conspicuaque urbis dominæ regione locare;
Qua patet augusto quæ nomine dicta superbit
Area; tectorum series pulcherrima surgit
Hanc circum, tollitque pari se vertice ad auras.
In mare labentes voluet dum Sequana fluctus,
Attolletque polo Regina Lutetia turres;
Herois placuit, substrato marmore, grandem
Stare hic effigiem, venerandaque civibus ora:
Atque hæc æternis mandari carmina saxis.
Hæc posuit Regique suo, Patrique Parenti
Richelius ductis spirantia vultibus æra;
Tertius à decimo LODOVIX *quot victor acervos*
Straverit, attonitos quondam monitura nepotes.



AMPHITRITE RVELLIANA.

NEPTUNI thalamos visum est, atque humida regna
Deserere; & castas posita salsedine lymphas,
Et varios istuc laticum perducere fontes:
Undique Richelio nostris famulantibus undis.
Hinc rauco late resonant loca murmure læta:
Hinc trepidant, lenique ruunt per saxa fragore,
Subjectosque gradus, per & intervalla fugaces
Subsiliunt rivi, jussisque ambagibus hortos,
Et sacrum nemus exhilarant, hinc Gallica Tempe,

Deliciæ hic Ducis egregii, seu pectora curis
Fessa levat, seu bella animo, pacesque volutat,
Principis auspiciis, & amico numine tutus.
Hunc sero terris cunctantia fata, marique
Invideant Heroa precor cæloque reponant.



AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

CLAUDIUM BULLIONEM

GALLIARUM ÆRARII

PRÆFECTUM.

ODE.

QUALE vas summo tenus ore plenum
Fontis infuso vitreï liquore;
Non maris vasti nimium profundis
Invidet undis:

Nostra te talem veneratur ætas
Ante quæsitis opibus beatum,
Quam reluctanti tibi crederetur
Regia Gaza.

Non enim somnos adimit cupido
Cæca majorum, studiumve lucri
Turpis, insano miserum fatigat
Pectus amore.

Digna res prisci genio Catonis,
Plura poscentem cohibere frænis
Spiritum, & grandes sibi temperare
Inter acervos.

Multa communis tibi cura census,
Parca privati : sine fraude partis
Splendide dives tibi, si redundet
Principis arca.

Tot licet campis acies, marique
Comprimant ausus stolidos Iberi,
Stent virum quamvis numero carentum
Robora in armis ;

Publici prudens moderator æris
Rite cavisti sua ne deesset
Militi merces, facilisque rerum
Copia castris.

Quem virum princeps animosiorem
Rebus agnovit trepidis ? magisque
Tempore expertus dubio fidelem
Altique silenti ?

Cui magis cultum dominæ togato
Numen Astrææ ? rata quis clienti
Jura, quis sonti potior sequaces
Dicere pœnas ?

Hinc & HENRICUS, titulis avorum
Major, allegit sibi te ministrum,
Pacis alternos docilemque belli
Ferre labores.

O recurrentes utinam per annos
Te diu servent Domino, tuisque ;
Dentque florentem placida quiete
Fata senectam.

Usque dum curis gravibus solutum
Exprimant nati meritis parentem,
Et colat magni genitoris artes
Turba nepotum.

Emori prorſus lyra te vetabit
Noſtra, quæ dulces modulata cantus
Audet Heroum tenui ſonare
Carmine laudes.

Cana dicentur pietas fideſque
Aureo per te reduces ab ævo;
Et peregrino decorata paſſim
Marmore templa:

Saxeas moles, domitoque nuper
Sequana extantem referet Coloſſum,
Hic ubi vivo ſtupet ære ductos
Advena vultus.

Quin & herbarum nova, te ſecundo,
Gramina, & ſuccos loquar efficaces,
Qua ſuburbani medicis vireſcunt
Stirpibus horti.

Nempe victuris nihil Orbe toto
Majus eſt chartis, neque ſi tacebunt
Ulla virtuti ſupereſſe poſſit
Fama ſepultæ.

Qui putas noſtri decus, & futuri
Seculi exemplum RICHELIUS atram
Edomet ſortem, niſi amica, cælo
Muſa bearit?

Nec tibi regum, LUDOVICE, princeps
Vita poſt mutos cineres redibit,
Aut triumphatus, ſine Vate, quicquam
Proderit Orbis.

Cuncta fatalis metet hora; ſacros
Ingeni fœtus ſeries dierum
Nulla delebit, Jovis aut proterut
Subruet ira.

Te suis ergo facilem Camœnis
Sentiant dexter quibus est Apollo,
Queis & ARMANDUS favet erudita
Commodus aure:

Huic vides pindi chorus ut perennem
Flore concinet vario coronam,
Sic sui fama fruitur, caputque
Inserit astris.



AD EMINENTISSIMUM

CARDINALEM DUCEM. RICHELIUM.

Redituros Atrebates ad priores Dominos triennio antea Poëta prædictum quam res gesta sit.


*

TERTIA maturis fluxit iam messibus æstas,
Dicta mihi lyricis cúm tua facta modis;
Parva quidem immensum, fateor, dare vela per æquor
Ausus, & exili magna referre sono.
Non tamen illepidum visum est tibi munus amicæ
Melpomenes; fati conscia & illa fuit,
Belgica mox Gallus circum fremet oppida miles,
Quin Atrebas, dixit, te duce noster erit.
Quam vere? belli eventus docuere secundi,

* *Videatur pag.* 18. *od. ad emin. Cardinal. Richel.*

Atque

Atque recens capta mœstior urbe Tagus.
Summe Ducum, prædicta mihi, nec vana canenti
Quod peragis, Vates monstror ubique tuus.
Te, tuus, unum oro, per tot geminata trophæa,
Per festas populi plausibus usque vias,
Per divina precor venturæ carmina sortis,
Per quod non mendax musa dicavit opus;
Sacrorum è reditu capiat sacer annua Vates,
Cui thalamus cœlebs, nec nisi casta placent.



AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

CLAUDIUM BUTHILLERIUM

SUMMUM

ÆRARII GALLICI

PRÆFECTUM.

ODE.

O Quæ Pieridum læta virentibus
Antris, Castalio fonte poetica
Fundis mella, novos, Melpomene, meo
Dic BUTHILLERIO modos,

Qui frontem gravibus sollicitam diu
Curis exhilarent, & fide Romula
Paulum detineant, fessaque recreent
Rebus pectora publicis.

* *Videatur pag. 18. od. ad emin. Cardinal. Richel.*

Quid primum referes aurea mollibus
Teſtudo numeris ? cunctus enim mihi
Virtutum chorus eſt obvius, inclytum
Dicturo meritis virum :

Hinc priſci probitas æmula ſeculi,
Hinc recti ſtudium, & pollicitis tenax :
Arcanique fides, tergeminæ ſibi
Poſcunt laudis adoreas.

At quam Regis amans, quam Patriæ, docet
Tranſacta obſequiis longa fidelibus
Annorum ſeries ; geſtaque proſperis
Regni munia Faſcibus.

Quid majora loquar ? quid dubiis parem,
Ac lætis animum, & gaudia ſordidi
Impermiſſa lucri ſpernere nobilem, &
Lamnas divitis Indiæ,

Teſtis fama mihi, teſtis ab optimo
Gazæ ſumma tibi credita Principe :
Immuni ſceleris quatenus hæc ſacra
Tractari decuit manu.

Quod ſplendet titulis ſtemmate nobili
Per tot ductus Avos ordo propaginis,
Non ſortis dubiæ muneris id fuit :
Virtus una ſed extulit

Authorem generis non humilem tui,
Quem, dum jura darent Armoricis Duces,
Claravit, triplici ſub Domino, ſacri
Princeps cura cubiculi.

Magnas inter opes quis moderatius
Te degit, neque enim clarus honoribus
Infra te poſitos deſpicis, arduum
Tollens plus nimio caput.

Morosi asperitas nulla supercili
Accessu prohibet : blandaque comitas,
Et fandis solidis copia lucibus
Quemvis alloquio beat.

Securus tua nunc tecta petit cliens,
Nec, quo more alias, Janua ferreos
Postes semper amat, torvus & invio
Custos limine summovet :

Longæ nulla moræ tædia supplicem
Turbam conficiunt, votaque civium
Optatos propere ducis ad exitus :
Qua fas, & Dominus sinunt.

De te plura aveam dicere, ni tuus
Laudari metuens id renuat pudor :
At quis progeniem tam similem tui
Non voce & cithara canat ?

Quis Natum patriis dotibus, & suis
Pollentem sileat ? divitias, decus,
Mores, ingenium, non sine pectore
Large cui Deus obtulit.

Non hunc deliciæ, & mollis inertia,
Non insanus amor, non male prodiga
Fregit luxuries : at pia Numinis
Formido superi juvat.

His fortuna domus præsidiis stetit :
Hinc gentis varios infula vertices
It circum, hinc sobolis pignora, quæ tuus
Sanguis progenuit LEO.

O quas lætitiæ parvus Avo nepos
Maturat segetes ! quantaque gloriæ
Incrementa suis mox dabit optimæ
ARMANDUS juvenis spei !

Nascenti Genius risit, & impares
Alludit placido lumine Gratias,
Quæ certatim oculos prætereuntium
Dulci pelliciunt mora.

Magni concilio sic Jovis interest
Latonæ gracilis filius, auream
Pulcher cæsariem collaque lacteus,
Et sura tereti nitens.

Quem, non, ingenuus siderei decor
Vultus, illaqueet compede amabili?
Sed formæ brevis heu! flosculus interit
Annis præda volucribus;

At vivax animus, quem melioribus
Formandum studiis egregius parens
Laudato artifici tradidit, & bonis
Totus nunc madet artibus:

Hunc secum genitor vix docilem viæ
Abduxit Ligerim præter, & ultimi
Trans ripas Rhodani, duret ut aulicæ
Jam nunc militiæ latus.

Gentes finitimæ discet Iberiæ,
Arcesque attonitas, fulminis in modum
Quas justo LODOVIX Marte potentior
Gallo milite diruit:

Deletas acies, captaque tot ducum
Iam callet digitis agmina, & aureæ
Prædæ pondera, quæ miserat huc suis
Nequicquam auxilio Tagus.

Fortunate puer, cui datur his frui
Rerum primitiis, quemque suo potens
ARMANDUS vocitat nomine, quem suo
Hærentem lateri fovet.

Ni Parca obſtiterit, te mea concinet
Olim Muſa virum : tu mihi carminis
Jugem materiam ſufficies, Patrem,
Et factis referens Avum.

Et nos ſi qua manet poſteritas, tui
Nulla ætas veniet nominis immemor,
Diceris Latiæ dum Veneres lyræ
Pars orbis melior colet :.

Sed Jam, Diva ſatis : nam jubet ocyus
Cogi concilium ſanguine regio
Cretus BORBONIDES, qui Domini procul
Bellantis gerit hic vices ;

Dum ponit populis jura volentibus,
Invitoſque domat victor, & hoſtium
Campos funeribus ſternit, & arduæ
Pyrenes quatit oppida.

Huic ingens animi RICHELIUS comes,
Qui mortale ſupra cogitat, & ſapit :
Quo Rex incolumi ſoſpes, idoneus
Belli, pacis & Arbiter.

Quem dum cura coquit pervigil, & flagrans
Cæli temperies inſoliti gravat,
Morbus torret atrox : ſcilicet ingens
Venis exuperat vigor.

Indigno doluit Martius hoſpitis
Caſu Narbo ſui : ſed patientia
Herois, dolor & noxia vis hebet
Gliſcentis penitus mali :

Vero preſſa metu Gallia, ſqualidos
Implevit lacrymis uberibus ſinus :
Quo mox imbre tumens Sequana, pontium
Moles, frænaque diſjicit.

Non aversa diu Numina publicæ
Mollivere preces, ſponteque brachio
Subſidit tumor, & reddita poſtmodum
Regni præſidio ſalus.

Hoc longum valeas ſoſpite, Patria,
Et ſis tuta precor: ſerius inuida
Hunc fata eripiant & Domino, & tibi,
Miſcendum ſuperis Ducem.



AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

JOANNEM BOCHARTIUM

SECRETIORIS CONSISTORII

ADSESSOREM,

ET SACRI ÆRARII PRÆFECTUM.


*


PRISCA licet priſcis vigeat virtutibus ætas,
Nec detur noſtris moribus eſſe probum:
Tot tamen antiquata fides pietaſque per annos
Auſpiciis redeunt, Numina priſca, tuis,
Ecquis enim proavum te Religionis amore
Clarior antiqua, vel probitate fuit?
Quis Themidos coluit veteres conſtantius aras,
Nec non auguſtæ jura verenda Togæ?

* *Hunc primum ingenij ſui fœtum eſſe teſtatur Poeta Ode ſequenti.*

Scilicet hac decuit fama invidiosa Monetæ,
His decuit meritis Templa subire Deæ.
Nam velut incluso tellus quæ fertilis auro est
Vix parit arenti mascula farra solo;
Sic ubi regali exundans opulentia luxu
Affluit, integritas parcior esse solet.
Quo magis illa tuæ arguitur præstantia mentis
Quæ tibi commissas non tamen ambit opes.
Sacra fuit manibus credenda pecunia castis;
At tibi quis tales, sobrius, esse neget?
Sublimis lucrique animus contemptor avari
Non potuit summam non meruisse fidem.
Non Jam erepta dolet grati sibi munera quisquam
Principis, aut medio deteriora capit:
Non orbis subtracta videns solatia natis,
Bis luget cæsum, mater, ab hoste virum:
Non queritur truncata sibi stipendia miles,
Et sua sacrilegas damna beare domos;
Gaudet at intrepidum caput objectare periclis,
Pulchraque legitimo vulnera Marte pati.
Nempe occlusa diu virtuti æraria pandis,
Nec sinis hanc nudo laudis honore frui.
Hinc Procerum egregios ausus, & fortia bello
Facta, juvat meritis nunc cumulare bonis.
Hinc per te ingenij referunt quoque præmia dotes,
Muneribusque foves Pallada utramque suis.
Quin etiam reduces tibi cultior Aula Camœnas.
Debet, & appensæ reddita plectra lyræ.
Hæc fidibus dudum tacuit viduata canoris,
Nunc celebrat laudes, garrula, facta, tuas.
Hæc privata tuis, hæc publica commoda curis
Aucta, renascenti prosperitate, canit.
Utque triumphatos, duce te prostraverit hostes
Cinthius, & doctas monstra perosa Deas.
Nec silet Aoniis ut iniqua laboribus, æquo
Nupera barbaries carcere clausa fremat.

Parnassique jugis ut per te absistat egestas,
  Pristinus & lauro restituatur honos.
Denique Gorgonei ut steriiis prius unda Caballi
  Hic fluat aurato nunc pretiosa sinu.
Inclyta divitibus valeant mihi litora conchis,
  Et valeat rutili dives arena Tagi.
Castalios avido quisquis bibet ore liquores,
  Nec sitis hunc ardens, nec premet arcta fames;
Sed penes hunc positis Fortuna morabitur alis,
  Et deget placidos, te tribuente, dies.
Has tibi Musárum urbis persolvere grates
  Me, licet emerita, jussit Apollo Chely.
Quamlibet exigui officium ne despice Vatis,
  Et quæ nos colimus, tu quoque Sacra colis:
Nec te tantarum prohibent molimina rerum
  Nonnunquam paribus nectere verba modis.
Scilicet assiduo mens fracta labore fatiscat,
  Ni quandoque levent otia molis onus;
Otia, queis dextro condatur Appolline carmen,
  Et fluat ingenij vena beata tui.
At dare materiam scriptis quam scribere prçstat;
  Quin potius major laus ab utroque foret.
Adde quod hæc pulchro sibi fœdere juncta cohærent,
  Carmen amat quisquis carmine digna facit.





VIRO ILLUSTRISSIMO

FRANCISCO SUBLETIO NUCERIO,

REGI CHRISTIANISSIMO

AB EPISTOLIS, ACTIBUS,

ET MANDATIS,

Necnon principalium Ædificiorum Præfecto.

ODE.

*

DICENDUS memori tu quoque carmine
Noſtrorum potior gloria temporum
SUBLETI, & Patriæ præſidium tuæ,
Et Galli decus imperi.

Alternis numero luſimus impari
Te ſuadente modis, tu mihi carminis
Author præcipuus, noſtraque dum faves
Manat vena beatior.

Noſtros jam ſenior vidit Avunculus
Laudavitque elegos, ingenij rudis
Quamvis primitias, cum penes hunc ſacri
Ærari arbitrium foret.

Nec clarum piguit tot titulis virum,
Si quandoque ſequax turba faceſſeret
Curarum, Aonios ſcandere vertices,
Ludoſque addere ſeriis.

Illum auguſta diu curia principem
Et ſidus dominæ conſpicuum Togæ,
Heu! miſtum æthereis nunc facibus jubar
Ereptum gemuit ſibi.

At te quæ meritis officij memor
Teſtudo valeat, tollere honoribus
Cæleſtis ſtudium quem ſapientiæ,
Et veri pietas ſoror,

Jam nunc ſidereas evehit ad domos,
Virtutis rigidum nempe ſatellitem
Cautum de teneris unguibus' improbos
Faſtidire cupidines.

Aude Muſa tamen grande aliquid loqui,
Nec parvis pudeat te numeris lyræ
Ingentes animos claudere, & arduis
Mentem rebus idoneam.

Dic ſanis gravidum conſiliis caput,
Venturique ſagax pectus & abdita
Solers Ingenium quæque recludere,
Seris pande nepotibus.

Dic facunda virum, Pieri, bellicæ
Quo cuſtode rei, Mars didicit ferox
Legum fræna pati, & quo geminæ vigent
Artes Palladis auſpice.

Non ſolas juvenum quas amor anxius
Curas agglomerat, miſtaque gaudia,
Aut condita jocis pocula Liberi,
Et feſtas populi dapes,

Non lenes choreas ſemper & horridos
Panas cum Satyris, & titubantium
Dementes ſtrepitus, raucaque jurgia
Aptari fidibus decet.

Quin plerumque Deos, atque Diis pares
Heroum pueros, claraque fortium
Dixit facta Ducum Romuleæ pater,
Et princeps lepidus lyræ.

Ut late tremulis quæ micat ignibus,
Pars mundi editior cuncta jacentium
Terrarum aſſiduis motibus ordinat.
Sic dum perpetuis tibi

Indefeſſa agitur vita laboribus,
Orbi læta paras otia Gallico,
Noſtrique, exitium, nominis hoſtibus;
Vinci queis toties dolet.

AD
EUMDEM,


Dum Luparæ Baſilicam turbulentiſſimis temporibus abſolvendam curat.

EPIGRAMMA.

*

SUBLETIO doluit Regum intermiſſa tot annos
Artificum extremam poſcere tecta manum:
Ille velut placidæ ſecura per otia pacis
Exigere inceptum fortiter audet opus.
Totaque Jam Luparæ ſtructoribus atria fervent,
Plurima ſaxorum pondere plauſtra gemunt.

Immanes juvat hinc vasta sub mole columnas ;
Murorum ingentes suspicere inde minas.
Macte igitur, Vir summe, dabunt pia Numina votis
Posse frui, & sacros tollere ad astra Lares ;
Nec te funeribus gaudens Bellona moretur ;
Quam struis, hæc nostri Regia Martis erit.



AD EMINENTISSIMUM

CARDINALEM

JULIUM MAZARINUM.

ODE

Scripta desinente anno 1642. paulo post extinctum E. C. D. RICHELIUM.

COMPESCE luctus, o mea Gallia,
Compesce luctus ; mitte superfluis
Decreta Fatorum, & protervas
Flectere velle vices querelis.

Quem fles ademptum, spirat adhuc, sui
Vivitque amico in pectore JULII ;
Quem poscis ARMANDUM, redonat
Lux Italæ MAZARINUS Aulæ.

Huic nempe velox ingenium, & sagax,
Et sustinendis rite negotiis
Mens, apta fatalesque rerum
Mire opifex secuisse nodos :



Caliginosi non animus deest
Prudens futuri, doctus & unice
Regumque vires exterorum,
Et studia, & populos, & arces.

Cæcasque fraudes cernere lynceus,
Et machinantum consilia hostium
Arcana vestigare solers,
Ancipitisque dolos Iberi.

Quocunque Princeps jusserit, ocyus
Fertur corusci fulminis impetu;
Ridetque ventosi procellas
Æquoris, & scopulos morantes:

Torrentis æstum ferre Caniculæ,
Imbresque durus cæruleos pati
De flore primævo juventæ,
Atque hyemes tolerare iniquas.

Dissentientum non melior ducum
Miscenda jam nunc sistere prælia;
Non ore mellito cruentas
Utilior prohibere clades.

Expavit iras, & Procerum graves
Motusque, cædesque Eridanus pater;
Quas ille majestate frontis,
Eloquioque, manuque pressit.

Non hunc minaci torvus Iber statu
Demovit unquam propositi via,
Cultuque honesti; non beantis
Dona Tagi, neque dives Indu

Gentis ferocem quippe superbiam
Odisse natum sanguine cautius
Serpentis Afræ, lacrymoso
Perniciem meditantis ictu.

Eheu pudendo servitii jugo
Bellantis atrox Hesperiæ Arbiter
Premebat Europem daturus
Mox dominæ prope jura Romæ;

Titannis ausus non tulit impios
Qui Regna frænis Gallica temperat;
Necnon laborantes probrosis
Expediit socios catenis.

Innexa collis vincula Mincius
Abrupta sensit: Sceptraque non sui
Rectoris indignata, Fasces
Mantua nunc placitos adorat,

Udam revinctus pôpulea Padus
Frontem corona, sidereo trium
Renidet auro Liliorum, &
Sanguineos refugit Leones:

Ereptus uncis unguibus Atrebas,
Nostrisque tandem martia Ruscino
Parere condiscit lupatis,
Attonitam quatiens pyrenem.

Tot læta palmis Gallia, tristibus
Hostem ruinis perculit: hinc ferox
Discussit Hispanas secures
Barcino, finitimique molles

Audire habenas maluit Imperi;
Hinc Lusitanæ jam sibi redditus
Regnator oræ, temnit alti
Grande supercilium Philippi.

Regis triumphos hic tibi patria
Romane JULI, concinimus lyra;
Pars magna, tantarumque suasor
Cum fueris, mediusque rerum;

Ingentis unus RICHELII efficax
Implere partes : jungere ſeu volet
Paces amicas , ſive campis
Victor agit LODOVIX cohortes,

Nec te bonarum præterit artium
Tutela præſens quas & honoribus ,
Auxitque cenſu , præmiiſque
Egregiæ pietatis Heros.

Oblivioſo cuncta ſilentio
Involvet ætas ; nec tibi marmoris ,
Æriſve fabri ſed puellæ
Pierides tribuent ſepulto

Famam perennem. Mercurialium
Invita ſacris parca laboribus
Parcit vivorum ; nec malignus
Deteret hæc monumenta livor.

Quod ſi puſillum reſpicies meæ
Munus Thaliæ , ſic animoſior
Accingat ad majora , noſtros
Audiat ut tua Roma cantus.

Vatemque norit , cui neque publica
Sit vena cordi , nec placeant modi
Triti ſaporis ; ſed renaſcens
Quos tereti probet aure Flaccus.

Te fata longum candida Principi ,
Noſtriſque ſervent rebus idoneum ;
Flavuſque te ſero repoſcat
Purpureum Tiberis quiritem.



AD

INVICTISSIMUM PRINCIPEM

LUDOVICUM BORBONIUM

ENGUIENNENSIUM DUCEM,

Poſt debellatos ad Rupem regiam hoſtes, & expugnatam Theodonis villam.

SOMNIUM.

ODE.

LUSTRABAM tacitus pieridum juga,
Et lucos virides, & trepidantibus
Lymphis antra mihi dulce loquacia,
Urbano ſtrepitu procul.

Illic dum jaceo, lentus, & otia
Me ſecura juvant; alta ſubit quies,
Mox ſomnus tenero gramine mollior
Senſim lumina comprimit.

Nec mentem vacua luſit imagine
Arcani propior Numinis impetus;
Aut nos rerum inopes ſcribere nænias
Montis religio ſinit:

Docto viſa mihi de grege Virginum
Oris melpomene ſideri jubar
Proferre: ambroſiis fragrat odor comis
Floræ ſuavius halitu.

Non

Non Phœbi ſoror è nube decentius
Sublustri nitidum os exerit; aut ubi
Sol merſus pelago, gratior emicat
Puro lumine Veſperus.

Tum ſic purpurei vocibus oſculi
Abrupit nemoris Diva ſilentium;
Sic blando monitu votis inertiam, &
Ceſſantem increpuit Chelyn.

Quis te torpor habet? quo ſtudium tenax
Sirenis Latiæ, curaque carminis?
Quo vocum ſeries non popularium
Fugere, & faciles modi;

Ergone ingenii vim tibi Delius
Nequicquam dederit; verbaque nectere
Te vanus doceat, Romuleæ fides,
Et motura ſonum lyræ;

CONDÆI Juvenis te nihil indoles,
Virtus, fama recens, totque parentibus
Faſtis digna movent; geſtaque Martiis
Emiranda nepotibus;

Non ille ingenuis artibus excoli,
Noſtroſve indocilis ſcandere vertices,
Jamdudumque ſuis utraque nobilem
Signat Pallas honoribus.

Hac lege erudiit ſollicitus Pater,
Ut quodcumque domi ſuaſerit, impiger
Id Natus, medios inter acinaces,
Victrici peragat manu.

Eſt quiſquam melior flectere mobilem
Bellatoris equi quo libuit gradum?
Luctanteſque globos, armaque & æmulas
Arces vertere fortior?

D

Sic Troiana ferox contudi agmina
Formosæ Thetidis filius, auream
Multo cæsariem pulvere sordidus.
Et campo nigrior genas.

Non Aulæ nitor, & blanditiæ illices,
Non Urbis Veneres illaqueant, citum
Venales anima quærere adoreas,
Qua prædulcis honos rapit.

Annos bis decies natus, ab hostico
Bis victor rediit, signa per asperas
Movit sæpe hyemes, tantus inest novo
Pugnæ, & laudis amor Duci.

Vastis hunc similem fluminibus puta,
Quæ de fonte, pares navigiis aquas
Alto sufficiunt gurgite, & advenis
Ditant mercibus Accolas:

Heroum pueris non aliter Deus,
Qua prosint Gregibus, dat sapientiam
Plerumque ante diem: quatenus ardua
Prælucent Populis face.

Felicesne adeo te pigeat loqui
Belli primitias? utque ea fecerit
Vix pubes, sibi quæ gesta velint gravi
Fessi militia Duces?

Pugnantum numero præstiterit licet
Formidatus Iber, durus & horridi
Martis ferre moras: non tamen obvia
Gentis robora Gallicæ

Hoc Ductore diu pertulit; ocyus
Quin Hispana acies, castraque militi
Desolata suo; pulsus & ultimæ
Hostis limite Patriæ.

Hesternæ sed enim cladis, inæstuat
Imo corde dolor; cum sibi degener
Gallus terga dedit, testis & impium
Trevir cum erubuit nefas:

Quid cunctamur, ait, dum gladij tepent,
Dum Fortuna calet, Numina dum juvant,
Huc mecum Socij tendite, quo vocat
Franci gloria nominis.

Sublimi haud procul hinc Sidera vertice
Urbs infesta petit, lætaque Gallicis
Exultat spoliis: grandius hic, Viri,
Palmæ nos pretium manet.

Nostrorum indecori cæde Theopolis,
Eheu, pars veteris quantula Galliæ!
CONDÆO incolumi, hac sospite dextera,
Sic impune superbiat?

Stat non ante Lares, tectaque visere,
Flexu quæ bifido Sequana perluit,
Arcis quam potiar culmine, & ardeant
Captis Lilia turribus.

Illatique alias, se puero, memor,
Ultorque opprobrij, subruit aggerum,
Portarumque mora sacer, & eluit
Capto dedecus Oppido.

Fortunam Ducis, & Martia pectora,
Bellantumque animos suspicit æmulo
Addictus Solio Belga, nec hostium
Laudes deterit invidus.

Optatis fremere hinc Regia nuntiis,
Princeps, ANNA Parens, GASTOQUE Parvuli
Tutela & Patruus, quem sequitur pari
Victoris Genitor gradu.

Una omnes Superis rite faventibus
Solennes properant ſolvere gratias ;
Auguſtoque nitens murice Curia
It longo comes ordine.

Certatim huc Proceres , denſaque Civium
Et Plebis ſimul examina conuolant ;
Et ſpectare juvat ſigna iterum ſacris
Dependentia poſtibus.

CONDÆUM Juvenes dicere fervidi ,
Et matura Senum canities amat ;
Martes atque Viri ; Plebs , Equites , Patres
Invictum memorant Ducem.

Collucere vias , tectaque non vides ;
Noctemque inſolitis edomitam ignibus ,
Quos circum ſaliunt ebria gaudio ,
Feſtis turba procax Jocis ?


Audis quo ſonitu bellica detonent
Tormenta , & validis quaſſus ut ictibus
Æther diſſiliat , lenis ut aſſonet
Ripis Sequana conſciis ?

Hos inter ſtrepitus , ſparſaque publicæ
Paſſim lætitiæ ſigna , quid improbo
Adverſum ire paras uſque ſilentio ?
Miſtis claſſica tympanis

Clangunt BORBONIDEM , cantibus aurea
Divum templa ſonant , compita perſtrepunt
Plaudentum choreis ; tu taciturnior
Infanti ſtatua manes !

His dictis , animos addidit efficax
Vati Muſa ſuo ; mox duplicem mihi
Deſtringens niveo pollice Lauream ,
Hæc , dixit , cape munera

Noſtra lecta manu, queis Helicon, potens
Æternare ſacris Nomina laudibus,
Per te BORBONII ſidere pulchrius
Dat circum Iuvenis caput.



AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

NICOLAUM BALLOLIUM

IN SUPREMO GALLIARUM SENATU

PRÆSIDEM,

REGINÆ CANCELLARIUM,

NEC NON

SACRI ÆRARII PRÆFECTUM.

ODE.

NON te quod veteri Stemmate nobilem,
Et clarum titulis turba Clientium
Ambit, ſollicitis & precibus vocat
Gazæ Principis Arbitrum,

Immortale tuo nos capiti juvat
Concinnare decus, ſertaque nectere,
Quæ non carpat hyems, longa nec auferat
Damnoſi fuga temporis:

Nam plerumque ſuis Fors temeraria
Pravos muneribus donat, & optimis
Præfert immeritos: fitque adeo bonæ
Mentis pauperies ſoror.

Quin & divitias ſtultitiam pati
Ætas queſta prior, noſtraque non ſilet,
Atque id ſera malum Poſteritas pari
Deflebit querimonia.

Dignos egregio carminis alite
Virtus ſola facit: ſola recumbere
Menſis dat Superum, ſola vetat tui,
BALLOLI, ſimiles mori.

Non Regnantum apices, & radiantibus
Gemmis dextra gravis; non laquearia,
Aurataeque trabes & Mareoticis
Surgens poſtibus Atrium;

Non Villæ, & nitidi ruris amœnitas,
Qua ridet ſcatebris uda loquacibus
Horti planities, pictaque floſculis
Tellus verſicoloribus;

Non dulces epulæ, & vina fragrantia,
Feſtivique ſales; non liquidæ ſonus
Vocis cum Cithara, mollius influat
Lentis ut ſopor artubus;

Non quidquid ſtolido murmure flagitat
Gens humana Deos; cunctaque vitreæ
Fortunæ tibi mendacia luridas
Defendant Erebi domos,

Ac te Cæli, obita morte, Quiritibus
Addant, æthereis ignibus æmulum:
Sed mens Conſilij provida, & aſperis
Rebus neſcia concuti,

Et ventis, eadem cauta, ferentibus
Contraxiſſe nimis turgida lintea:
Sed purum ſceleris pectus, & unica
Recti cura beaverit.

Hinc mentis placidæ nuntia comitas,
Majeſtate gravis: pronaque civium
Cuivis alloquij tempora, & obviæ
Frontis læta ſerenitas:

Hinc te Nobilium, & Plebis amor pari
Cultu proſequitur; grataque publicæ
Vocis fama tuum Nomen ad ultimos
Extendit Patriæ incolas.

Acceptus Populo es, nec tua commoda
Perſtringit tacitis morſibus inuidus;
Communis neque te cura pecuniæ
Obſcuris odiis premit.

Non auri pretio duceris abſtinens,
Fluxas temnere opes fortis, & improbo
Doctus, de teneræ flore puertiæ,
Reſponſare cupidini.

Cui ſic culta Themis? quem generoſius
Defunctum variis muneribus, Togæ
Viderunt Proceres, vidit & urbium
Princeps alma Lutetia?

Ut te noſtra ſibi Regia vindicat?
Explerique nequit cernere, maximis
Quem rerum ANNA potens non ſemel utilem
Eſt experta negotiis?

Nec tu Palladiis artibus, & Viris
Mercedes ſolitas pendere ſegnior?
Aut commiſſa tibi Æraria lugeant
Natæ pſallere Virgines.

Certe Pierij quiſquis amabiles
Potat fontis aquas, vera ſonantibus
Te chartis memorat, te melior Polo
Scriptorum Chorus aſſerit.

Me Collega tibi MEMMIUS, ante quam
Legatus populos iret ad Ubios,
Laudatum exiguis ingenij dedit
Innotescere dotibus.

Nobis o utinam det Polyhymnia
Tanti laude Viri digna reponere:
Vix audita meos flumen ad Aufidum
Testudo, superet modos.

Sic mandata super conditionibus
Pacis pollicitæ Numina prosperent.
Bellantumque diu jurgia Principum
Certo fœdere comprimant.

Lustratas alio Sole perambulet
Terras, quem gladij, & densa cadaverum
Moles, terribilis quem sonitus tubæ,
Armorumque fragor juvat.

Persas ille graves inter, & impium
Regnatorem Asiæ sæviat impotens;
Illic assiduis cladibus atterat
Lunæ cornua Traciæ;

Natales placitis cædibus imbuat
Campos, atque sui litora Bosphori:
Gallorumque procul finibus horridos
Ferro depopulet Getas,

Illic fulmineo diruat impetu
Arces, aggeribusque oppida saxeis
Emunita: luant & rabiem & minas
Martis, qui Tanaim bibunt.

Late purpureos sanguine vortices
Hebrus voluere amet, cæsaque corpora.
Sit nunquam patriis sedibus huc precor
Gradivo reditus truci.

Felix

Felix tum reduces Gallia ferias ,
Et ſecura metus otia pallidi
Captabit , neque me in gloria deſidem
Urgebit taciturnitas.

ANNÆ progeniem Matris , & Imperi
Dicam ſidereos pręſidium Mares ;
Spes , & vota ſupra , nec ſine Numine
Divum progenitos loquar ;

Regnumque Auſtriacæ mite Puerperæ ,
Quam longo obſequio demeritam colis ;
Cui melli eſt Pietas , quæque nocentius
Letho , flagitium cavet.

Cæleſtis referam vim ſapientiæ
Ejus , quem penes eſt , Arbitrium ſacri
Et Jus Concilij ; quem ſibi redditum
Vel magno Tiberis velit.

Spondenti Puero grandia , tu interim
Grandes innocue ſedulus extrues
Theſauros : tibi dum garrula Barbitos
Tempeſtivius obſtrepet.

Factis ipſe adero Cantor idoneus ,
Audebitque tuis Muſa procacior
Se miſcere jocis , tecum iter ingredi ,
Curas ut minuat graves.





LUDOVICO BORBONIO REGIÆ STIRPIS. PRIMO PRINCIPI.

De Capta Duncherchensium Arce.

ODE.

QUO me vis rapit ocyor
Afflatum insolito Numinis impetu?
Quis me tam propere Deus
Imbellem, ac placito, dum licet otio
Mire sollicitum frui,
Belgarum statuit finibus, ultimi
Quos Orbis Morini tenent;
Armorum sonitus inter, & igneos
Æris fulminei globos;
Hinc pulsata gemit cornipedum ungulis
Tellus, hinc Batavis mare
Constratum ratibus fervet. Ut æmulas
Urbesque & populos juvat
Mirari solitos subdere Ibericis
Nuper colla Securibus,
At nunc fræna pati Gallica, & aureis
Pronos credere Liliis
Vitam, rem, sobolem, sacraque patria!
Quam me dulcis habet furor,
Quam dextro incaluit pectus Apolline!
Qui, paulum sedeas, ait,
Hoc montis placido vertice, dum tuis

Reddam te incolumen focis :
Verſas retro acies , caſtraque , & hoſtium
Propugnacula reſpice
Gallorum valido robore diruta ;
Victuris , age , fortium
Chartis facta Virum , & carmine parcius
Audito : egregios Duces ,
Bellorumque animas immeritas mori , &
Vitæ prodiga pectora
Nunc ſacrare opus eſt , Incipe , deſides
Vati ne noceant moræ ,
Ceſſantemque diu pauperet ingeni
Venam mollis inertia.
Captarum neque tu , ſi ſapis , urbium
Voces auribus abſonas ,
Et verba hiſtoriis apta pedeſtribus
Conatu male ſedulo ,
Tentes nominibus ſingula perſequi ;
Quando hæc , Muſa decentior
Includi numeris , & Latiæ vetat
Aptari fidibus lyræ.
Sic me Pierii Dux nitidus Chori ,
Arcano monitu beat :
Suavi mox oculos paſcit imagine ;
Fas impune acies mihi ,
Fas , monſtrante Deo , cernere ovantia
Noſtris ſigna cohortibus ,
Pubemque intrepidam , & lecta frementium
Tot campis Equitum agmina :
Verum me reliquis imperioſior
Heros detinet , inclyto
Regum qui genitus ſanguine , Gallicos
Sic inter Proceres micat,
Ut cæli tremulis ignibus aureo
Vultu Cynthia prænitet
Fratris ſplendidor munere lucidum ,
Terris cum jubar exerit

Agnoſco generis BORBONII decus,
Agnoſco Superis parem
CONDÆUM Juvenem, jam mihi dulcibus
Dictum Melpomenes modis,
Dicendumque iterum, quatenus huic recens,
Strictam fulmine Martio
Frontem lambit honos: pulvere decolor
Oſtentat facies Ducem,
Contemptorque animus lucis, & obvii
Mens ſecuta periculi.
Hunc Rheni didicit potor, & horridus
Pallet Danubii accola
Suetum de teneris militiam, & graves
Æſtus, atque hyemes pati:
Hunc acer Morimus, quamlibet aggerum
Structis molibus abditus,
Murorumque minis, & famulantibus.
Fidens Oceani vadis,
Victorem extimuit: ſcilicet addito
Captis arcibus Oppido
Tanti nominis, & vix ſuperabili,
Virtus, ſeu dolus afforet.
Non jam perniciem Navita mercibus
Horreſcit, neque Belgicæ
Non tangenda prius litora Galliæ;
Jam Neptunus amicior,
Noſtras fida rates jam ſtatio capit.
Nimirum id LODOVIX, Pii
Rex, Juſtique tenax, irrevocabilis
Fati cum appeteret dies,
Maturuſque Polo ſpiritus, exitum
Feſſis quæreret artubus,
Divina monuit voce: ſuperſtitem ingentis BORBONIDEM ſpei,
Hiſpano exitium, denſaque CÆSARI
Natum mittere funera,
Seu bellare ſolo, ſeu libeat mari.

Hic, dixit, Patriæ datus
Fatorum arbitriis, victor ut asperam
Sortem, damnaque principis
Captivi, reparet vindice dextera:
Et Gentem veteri jugo
Subductam, propriis Regibus afferat.
Illo, credite posteri,
Ductore indomito, sidereus puer,
Nostri progenies thori,
Reginæ auspiciis Matris, & optimi
Invicta Patrui manu,
Julique, Ausonio murice nobilis,
Armatus sapientia,
Dictabit populis jura volentibus,
Thracas proteret impios,
Ipsum quin etiam Martem, adamantinis
Olim compedibus dabit;
Æternæ referet pacis & otia,
Qua mortalibus advenit
Expectata dies, quaque reconditur.



AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM JULIUM MAZARINUM.

EPISTOLA

Scripta rure, prosperis Galliæ rebus, anno scilicet 1647.


Juli nostrarum decus & nova gloria rerum
Quem Patriæ Divis donarunt Fata benignis;
Augustæ quem frontis honos, orisque verendi
Majestas, pulchroque imbutum pectus honesto,

Ingenium solers, & mens divina futuri
Nobilitat, Francique adeo cui tradita moles
Imperii torquenda humeris, felicibus ANNÆ
Auspiciis, sua quam Cælo gratissima servet
Optamus longum incolumem pietasque, fidesque.
Te sine, nec victrix numeret tot Gallia palmas,
Æmula nec versis lugeret Iberia fatis
Ereptas sibi tot gentes, opulentaque Regna;
Formosæque recens, capiti Diadema revulsum
Parthenopes, quæ servitii pertæsa pudendi,
Hispanasque diu nequicquam exosa Secures,
Discussit tandem indocili feralia collo
Vincula, & ad Dominos iterum conversa priores
Gaudet amica pati Gallo sub principe fræna.
Quinetiam unanimes nostris se adjungere Sceptris
Sponte sua fama est populos terrâque, marique;
Vicinæque adeo portus, & litora, & urbes
Sicaniæ, Insubrumque animos mutare paratos
Obsequia, & Superis invisas linquere partes.
Hæc nos deliciis Dominæ procul Urbis, & Aulæ
Agrestes calamo agresti cantamus, eburna
Dum paulum Lyra conticuit, quo scribere versu
Noster ad Augustum, Mæcenatemque solebat
Agrum dum coleret Flaccus. Jam Luna quaternis
Decurrit vicibus stadium, terrisque decoros
Ostendit vultus, Paridis, cum mœnia & altas
Sequana quas leni præterfluit agmine turres,
Marmoreas Regumque domos, atque aurea tecta,
Et tua Romanis haud inferiora coacti
Liquimus, heu nunc rura tenent, & avitus Agelli
Fundus, ubi exiguo crescit mihi recula censu.
Prærupti circum montes, & inhospita saxa,
Perpetuisque stent loca late horrentia silvis
Qua mundi fervente plaga Sol acrius urit,
Nec datur ante Polo, fagus quem plurima condit,
Liberiore frui, campos & inire patentes,
Quam nemorum emensis spatiis, latebrisque viator

Prospectet celsas quas Heduus incolit Arces,
Hic ubi nempe tuæ stetit urbs Soror inclyta Romæ
Ipsa anni gravior tempestas ædibus abdit
Quemque suis, suadetque foco dissolvere frigus,
Dum campis bacchatur hyems, dum cana pruinis
Arva rigent, stridente Aquilo secat aera penna
Cum sociis, sonitu horrendo nemus omne remugit;
Quod si forte silet Boreas, Austrique solutus
Jupiter intepuit flatu, liquefacta repente
Vis nimium, mox præcipiti torrentia lapsu
Irritant placidos amnes, fœdaque laborans
Illuvie tellus, atque indignantia pontes
Flumina præpediere vias, Peditique, Equitique.
Non tamen hyberni me sideris ira volentem
Carpere iter vetet, optatos reditusque moretur,
Qui mihi me reddant, dulcesque revisere Amicos,
Et tua, quod caput est, dent protinus ora videre:
Sed me defectum prope viribus atque jacentem
Lectulus insomnis, Coique Oracula patris
Discruciant, tepidosq: jubent colere usque penates
Dum mihi firma salus redeat, propiorque supinum
Erigat, & recreet vitali lumine Phœbus.
O mihi porticibus longis spirantia quando
Marmora, Romulidumque Deos, intonsa vetustas
Quos habuit Fanis; at nunc visenda superbæ
Quam struis ornamenta domus, spectare licebit!
Et gentilitios Dominatum insignia Fasces!
O, quando, mire artifici laquearia ad unguem
Facta manu, & liquidis mentita coloribus arma,
Commissasque acies, durique pericula Martis,
Ut si re vera pugnetur equisque, virisque
Usurpare oculis dabitur! quando impia brutæ
Telluris portenta, ipsum detrudere regnis
Conjurata Jovem, & montes conamine vano
Montibus aspiciam impositos, qua porticus alta
Prospicit irriguos lymphis salientibus hortos?
Quando tot humani ingenii monumenta, novoque

Quod ritu moliris opus, digna atria Musis
Hospitibus cernam? magno genus omne coemptis
Undique codicibus, studioso evolvere cuivis
Quos pronum, & facile est; sacros, sive ille profanos
Consulat Authores: sic omnia digerit apte,
Scriptorum qui mille modos, & nomina callet,
Cujus & illustri memorantur opuscula fama
Naudæus, cupidum lectorem admittere lenis,
Et quoscumque volet celer opposuisse libellos.
Nos, simul ac Veris, Zephirique sodalis hirundo
Garriet, aspirent nostris modo Numina votis,
Ocyus huc læti properabimus, atque valentes.
Interea, Vir summe, tui meminisse Clientis,
Absentemque velis solito de more tueri,
Et precor, & spero, lecta hac tibi postmodo charta,
Facturum quodcunque meis erit utile rebus.
Non ego te, qui bella Orbi, pacesque supremis
Dividis arbitriis, Regumque negotia tractas,
Intempestivo sermone morabor ineptus;
Quin tuus hic paucis quid postulet, accipe, Vates:
Ut sibi nimirum à Domino concessa petenti
Annua tu dexter faveas, meque esse tuorum
In numero extremum quamvis intelligat ille,
Cujus inexhausta æternis Æraria curis,
& jugi exundans properata pecunia fonte,
Bellorum in sumptus, & publica commoda manat,
Privatisque quies, dum Mars procul, alta paratur,
Incustoditis secura per oppida muris.





AD INVICTISSIMUM PRINCIPEM LUDOVICUM BORBONIUM REGIÆ STIRPIS HEROEM

Ut deletis Leopoldi copiis Lensiaca pugna propere in Aulam redeat.

EPIGRAMMA.

*

INtrepidum in rebus trepidis, te vota Senatus ;
 Te populus supplex, te vocat Anna parens :
Egregium, quamvis numero majora fugasse
 Agmina ; & Hispani castra inimica Ducis ;
Verum intestini nascentia semina motus
 Sistere, perpetuo dignus honore labor.
Sat ferro, Martique datum, secuta parumper
 Otia, si patriæ, si mihi credis, ama ;
Nempe manu, mox consilio, bellique, domique
 Res gerere, humanis sunt potiora bonis.





EXCELLENTISSIMO DOMINO
ANTONIO
GRAMONTIO
DUCI, PARI,
AC
FRANCIÆ MARESCHALLO,
BENEARNENSIUM PROREGI, &c.


HENDECASYLLABUS SUPPLEX.

Rogat Poeta creditor, ut se resque suas, CONDæO Principi commendare velit.

CLARO progenies parente digna
GRAMONTI, & generis decus vetusti,
Quem pollens crepero manus duello
Hostili toties cruore tinctum
Partis evehit ad Deos trophæis;
Cui suave ingenium, probumque pectus,
Urbanoque madens lepore sermo,
Grandes conciliat, fovetque amicos,
Ingentisque adeo beat favore
CONDÆI, mea quem sonabit usque
Notum per memores Camœna Fastos,
Quem Regina parens, gravesque regni
GASTO sollicitus levare curas,
Quem Rex, sidereo verendus ore,
Quem plebs, quem Proceres, Eques, Senatus
Gratantur reducem, ferosque natum

Hostes fulminea domare dextra.
Lætos ille dabit videre Soles,
Antiquam populis beatitatem,
Et pacis referens vices benignas;
Mox in Bistonas, impiamque Thracem,
Aut nuper sceleris reos nefandi, &
Regis carnifices sui Britannos,
Districtum melius retundet ensem.
Sed quo digredior vagus, meique
Cœpta propositi via deerro?
Cressum Musa refer, Ducumque mortes,
Et luctus, tragicæ relinque Scenæ.
Unum te tuus hic rogat Poeta
Turbæ si qua fides Appollinari:
Per te nos amet, audiatque princeps,
Cujus nunc reditu triumphat aula,
Nostrique esse velit memor libelli;
Ac quæsita mihi bonas per artes
Vitæ commoda non sinat perire,
Partosque assiduo labore fructus,
Seræ præsidium unicum senectæ
In Vatis jubeat sinum reverti,
Marcentesque olido situ locellos,
Et fœtos nebulis aranearum,
Ablatis iterum tumere nummis,
Quos fortuna graves trahens ruinas
Indigne eripuit, tenet, negatque,
Spes nulla ut super frui paratis,
Ni fati seriem mali retexat
Quæ Clavum Imperii gubernat ANNA,
Aspiretque mihi potens voluntas
Ejus, qui Dominæ præest Monetæ.
Huic me BORBONIDES, ut est benignus,
Acceptum sibi, nec rudem loquetur
Cantus Ausonio movere plectro,
Victurisque animas beare chartis.
Sic rem perficiet, nec illibenter

Sacræ LONGOLIUS fidelis arcæ
Custos, pierias juvare lenis
Tempestate licet gravi, Sorores.
Has & de tenero sequutus ungue
CONDÆUS, studiis favebit ultro,
Nec se difficilem dabit precanti.
Tu molles aditus, & apta fandi
Calles tempora, tu remissiones,
Atque horas Genio sacras, jocisque
Captabis melius Cliente parvo;
Aulæ nam rudis, & pudens Thaleia,
Imbellisque, Ducem hostibus tremendum
Affari proprius laborat, inter
Densam tot procerum, Ducumque pompam.
Nempe id te tuus hic rogat Poeta,
Certe haud pessimus omnium Poeta,
Turbæ si qua fides Apollinari:
Te, quem Mnemosynes amant puellæ
Non segnem Aonios bibisse fontes,
Te, quem miles amat sibi imperantem,
Martisque intrepidum subire casus,
Te, quem delicias placentis Aulæ,
Et patrem lepidum elegantiarum
Omnes indigitant, colunt, loquuntur,
Et cunctis potior fatetur ANNA,
Conjux, Nata, Soror, Parensque Regum,
Quam sero invideat suis Olympus.







AD REGEM LUDOVICUM XIV.

Ut in urbem Regni principem redire velit.

ODE.

ABsentem Lodovix, heu nimium diu,
Te votis, prece te sollicita vocant
Qui formosa tuæ tecta Lutetiæ,
Sedemque Imperii colunt:

Nec desiderio Regis amans sui
Ponet turba modum, nec querimoniis,
Dudum pollicito patribus, urbium
Matrem, ni reditu beas.

Non sic Threicii trans freta Bosphori
Delatum, atque alio Sole calentibus
Errantem spatiis, expetit anxia
Mater visere filium:

Ingratas populo rumpe tuo moras,
Ac Regum vacuis ædibus hospitem,
Et te redde tuis incolumem, quibus
It mœstus sine te dies,

Omnis per cuneos obvia civitas
Portis exiliet, cernere gestiens
Augusti capitis sidereum decus,
Et Sceptris habilem manum:

Certatim invalidi cum pueri ſenes,
Et permiſta viris agmina virginum
Fauſtis lætitiam vocibus, & datam
Proment obſequii fidem.

Quid quod, donec abes, publica vix queat
Res tuto eſſe loco? Nam velut Africis
Debet ludibrium, & divitias mari
Puppis, ſic careat duce;

Sic pene orba ſuo Rege Lutetia,
Europes oculus proh pudor! infimi
Nunc vulgi arbitrio, nunc procerum impetu
Clavi neſcia fluctuet,

Antiſtes Themidis ni SEGUIERIUS
In puppi ſedeat, per vada naufraga
Syrteſque, intrepidæ mentis, & aſperum
Quamvis, certus iter ſequi.

Nec matura patrum Curia ſegnior
Admoviſſe vaga frænæ licentiæ;
Cœtuſque illicitos, atque nefarias
Voces, ſcriptaque perſequi.

Quin exhauſta prope Æraria, & annuos
Majorum reditus, & patrimonia
Supplere, egregiis cura Duumviris,
Turpi quos procul ambitu,

Præfecit Dominæ ſola pecuniæ
Virtus; ac pretii neſcia ſordidi
Evexit probitas, non temerariæ
Sortis cæca potentia.

O quando Cereris muneribus tumens,
Lenæique patris Nectare ſequana,
Raucis te reducem, murmure conſono,
Ripis, & Dominum audiet!

Huc dextro redeas alite, protinus
Cœlo diffugiant nubila Gallico,
Tempestas sileat; canaque mox Fides,
Et pax Justitiæ soror,

Distentoque fluens ubere copia
Bellanti referent otia patriæ:
Squalentesque inopum rursus Agrestium
Implebit casulas labor.

Sic rerum Anna potens Gastoque & intimi
Princeps Consilii Julius, omnium
Obstringent animos; insitus ac tui
Augescet populis amor.



ILLUSTRISSIMO VIRO
MICHAELI
PARTICELLIO
GALLIARUM ÆRARII
ITERUM
PRÆFECTO.

ODE.

*

DUm te sola commoda publicæ
Tangunt atque iterum sollicitus, caves
Ne commissa tibi Æraria deterant
Sumptus immodici; totque mari simul
Cogenda, atque solo Vere novo agmina:

Dum concessa viris fortibus Annua
Præbes, nec geminæ Palladis artibus
Illustres animas, claraque Nomina,
Obscura pateris pauperie premi:
Dum cunctis patriæ qui cupiunt bene
Expectatus ades, juraque mutui, &
Sublatam ex animis restituis fidem
Quam nuper rabies civica, proh pudor!
Commotæ expulerat limine Galliæ:
Dum tu Regis opes, æraque parcius
Dispensas, neque enim injuria temporum,
Ac longi patitur sæva necessitas
Belli, dona manu spargere prodiga:
Dum per te reditus hebdomadarios
Plebi, & patritiis auctius Urbici
Quæstores numerant, atque trimestribus
Aulæ servitiis pacta salaria
Præstas, & sua stipendia militi:
Urbique advigilas major ut undique
Convectæ cereris copia suppetat;
Dum rerum Imperii ponderibus parem
Te Regina parens incolumem expetit;
Dum te quarta dies, an mane principis,
Indefessus amor, curaque civium
Paulatim attenuat; nec revalescere
Tantis mens sinit intenta negotiis.
Nos dulci interea principis urbium
Cultores, fruimur, qua licet otio;
Nimirum indociles arma capescere,
Tractandisque parum rebus idonei:
At pulsare habili pollice non rudes
Imbellis Citharæ fila sonantia:
Heroum proceres, seu placuit Deos,
Ac Divis genitos dicere, & invidæ
Arces edomitas, castraque Iberiæ.
Nec tu, quod titulis atque opibus nites,
Aulæ promeritis clarus honoribus;

Fastidis

Fastidis numeros Vatis amiculi ?
Noster quam placido lumine Julius ,
Tutelaque fovet ; quem tuus hic Gener ;
Quo non consiliis dignior interest ,
Non Musis alius vivit amicior ;
Et voce , & calamo protegit efficax :
Adjungitque sibi , ludicra seriis
Cum miscere libet , Signaque ahenea
Mirari , & tabulas , & simulantia
Vultus Cæsareos marmora , & auream
Picto ad delicias fornice , porticum.
Quid ? quod me Generis præsidium unicum ,
Et spes sola tui , sæpe TORESIUS
Assumit comitem post strepitum Fori ,
Et lites tetricas , dictaque sontibus
Fata , & legitimos supplicij gradus ;
Suavem cum libuit tendere pensili
Rheda Capreolam , quo, quis amœnius
Usquam vernat ager ; plurima quem Dryas ,
Nymphæque,& virides Naiadum Chori ,
Quæque arctis animos nexibus implicant ,
Alternoque placent munere Gratiæ ,
Et formosa Pales cum Satyris colit.
Hic Pomona suas ubere prodigo
Late fundit opes , hic pater Evius
Manat purpurei gaudia Nectaris :
Hic somnos teneri graminis hospites
Erumpens tubulis lympha crepantibus
Invitat fragili splendidior vitro.
Quin hic sæpe graves Imperii levat
Curas ANNA potens , huic LODOVIX puer ,
Ast ingens animi , & qui teneram supra
Ætatem sapit ; huic parvulus it comes
Ac Sceptri Columen , Frater , amabile ;
Hortique areolas nunc agili pede ,
Metiturque oculis ; nunc pueriliter ,
Exultimque vagus , quos ferat optimæ

Matri grata legit munera, floſculos.
Felix ſorte tua Villa ter & quater,
Cui tot chara domus pignora Regiæ
Oblectare datum eſt, tuque beatior,
Ipſos cui liceat prædiolo hoſpites
Excepiſſe Deos: queis utinam diu
Acceptus vigeas, parque adeo tuis
Contingat decus, & gloria poſteris.



CHRISTINÆ
SERENISSIMÆ
SUECORUM REGINÆ
LAUDES.
ODE.

Scripta anno 1652.

QUA voce, dulci quo ſtrepitu Lyræ,
Quo te merentem carmine proſequar?
O digna GUSTAVO Parente,
Digna tuis dare jura Gotthis.

Non uſitatos Pieridum move
Regina cantus, Virginis inclytæ
Nomenque, & æternos honores
Pollice non timido ſonanti.

Tu Diva, primum quid memorem doce;
Nam fluctuantem pertrahit omnium
Me turba virtutum, laceſſunt
Corporis hinc, animi inde dotes.

Sic Nympha mollem gramine floreo
Nectens coronam, Veris honoribus
Densis laborat, nec scit utros
Anxia dextra metat colores.

Miratur Orbis fœmineo calens
Pectus virile in corpore, & abditas
Sinu puellari beatæ
Mentis opes; animique robur

Huic sustinendo par Diademati,
Nec non gerendis rebus idoneum:
Nymphaque bellanti subactam
Danubij, sobolemque Rheni.

Non sic feroci Cornipede emicat
Quæ Martiales ductat Amazonas;
Si quando Thermodontis alta
Strage virum maduere ripæ.

Quid quod benigno lumine respicis
Tristes Camœnas? dum furit impius
Mars Orbe toto, sola Phœbi
Et colis, & recreas Alumnos,

Sublimioris qui Sapientiæ
Arcana, scriptis non popularibus
Scrutentur, ac Veri decoram
Postgenitis speciem revelent.

Quacunque Mundi parte sitos juvas,
Accersis, auges munifica manu;
Terraque jactatis, marique,
Luce polum propiore signas.

Formidolosi non labor æquoris
Enavigandus, non mora fluminum,
Tractusque silvarum profundi,
Non Geticæ rigor obstat oræ;

Ad te relictis quin properet focis,
Et prole dulci, Pieridum avios
Quisquis penetravit recessus,
Atque avido bibit ore fontes.

Digressa pridem montibus Aonum,
Urbisque septem Calliope jugis,
Migravit hybernas ad Arctos
Parthasiæ nova Civis Aulæ,

Hinc pacis almæ gentibus otia
In bella pronis, hinc pretium artibus,
Splendorque, & antiquata Legum
Auspice te, rediit potestas:

Hinc plena cornu divite copia
Late potentes indigenas beat;
Totis & inconcinna morum
Asperitas procul acta Regnis.

Vinci dolentes hic ubi Vandalos
Duravit atrox Mars potior Toga;
Illic Athenas, & Liceum,
Atque meros videas Quirites.

O te beatam, cui studiis, graves
Lenire curas Imperij datum!
Doctasque regali sedere
Quæ thalamo jubeas Sorores!

Quid litterarum tot decora undique
Accita narrem? quos tamen arduis
De rebus una differentes
Judicio potiore vincis.

Callere primis Mnemosyne dedit
Linguas ab annis, te patrio Exteri
Sermone mirantur loquentem,
Quisque suas stupere voces

Germanus, & quem divitibus Tagus
Rivis inaurat, Celtaque, Italus;
Graiæque consultus Minervæ,
Et Latio veteri recoctus.

Quis multilinguem non memori canat
Versu Puellam? Marteque proprio
Responsa chartis exarantem,
Quas alius sibi mittit Orbis?

Nil eruditi Interpretis attinet
Partes morari, te quoties palam
Audire Legatos sedentem
In Solio decuit Paterno.

Musis amicas lux simul appetit
Impendis horas; Seria mox die
Tractas adulto; quaque possis
Arte Greges proprios tueri;

Nec te peractis rite negotiis
Torpere mollis suadet inertia;
Aut igne multo pertinacem
Vim patriæ superare brumæ.

Sed nunc lupatis indocilem regi
Patente campo flectere equum juvat;
Nunc belluosis hospitantes
Saltibus exagitare prædas;

Innupta qualis, per juga montium, &
Lucos sonantes Diva genu tenus
Succincta vestem, tibiasque
Vincta habili teretes cothurno;

Sectatur apros, aut jaculo petit
Damas fugaces; lætaque dissono
Clamore venantum, canumque,
Planta agili sua Regna lustrat.

Gaudes Videri non muliebriter
Nodata crinem, non minio genas
Infecta, ſed levis juventæ
Munditiis habituque ſimplex.

At præliantum diſſidia efficax
Sedaſſe Regum; ni varius fidem
Iber fefelliſſet, Duelli
Te veritus, mediamque Pacis?

At vaſta mens, & Pallade plurima
Pectus refertum, quod neque triſtia
Nec Læta frangant ſævientis;
Intrepidum per acerba Fati.

Videre Cives tecta per Ædium
Graſſante flamma, non timidam vices
Obire privatas, ſereno
Perque vias equitare vultu.

Extincta donec deſineret Lues:
Te nuper inſons gurgite Nereus
Excepit immotam, dolata,
Sub pedibus titubante pinu.

Non ora pallor vertit, & ultimæ,
Formido ſortis; Dorida crederes
Cum flore Nympharum, ſecantem
Cæruleo vada ſalſa curru.

Frontis verendæ læta ſerenitas,
Fandique torrens copia, & inſito
Condita Majeſtas Lepore,
Sidereumque oculi micantes;

Invicta blando corda cupidini,
Spretæque dulcis Conjugii faces
Ætate florenti, comeſque
Grata pudicitiæ venuſtas:

Im posta summæ fræna potentiæ,
Rerumque pollenti arbitrio modus;
Æquæva virtutique merces,
Pœnaque mox sceleri luenda,

Præsentis ævi Heroida principem,
Laudumque plenis muneribus probant
Dignam sacrari, cuique duplex
Sponte sua famuletur Axis.

Te pacis artes, bellaque strenue
Pugnata clarant; at veritam mori
Me Vate; Christinam loquetur
Longa Senum series nepotum.

Hæc Musa dictat, dum furit impotens
Regnante plebis fece, Lutetia;
Corvisque dum parere mites
Impia vis adigit columbas.



AD EMINENTISSIMUM

CARDINALEM JULIUM MAZARINUM.

Rogat ut quantum sibi quotannis ex Ærario præstatur, tantum ex Ecclesiastico censu in posterum percipiat.

QUando tui nonnulla tenet te cura Clientis;
Per te securos deget in urbe dies;
Rex alet, ac Musa dignas dabit hospite sedes
Incolere, & cælo liberiore frui.
Quin tenuem, & siccum mox annua tinget opima
Gutta sacerdoti, ni meliora paras.

Sacrorum è reditu quidni ferat annua Vates,
Cui thalamus cœlebs, nec nisi casta placent?
Cui puero Antistes munivit Chrismate frontem,
Quæ prima est sacræ tessera militiæ.
Nec si, te dextro, votis, Vir summe, potiri
Contingerit; deinceps poscere plura velim.
Parvo contentus vivam parvoque beatus,
Dum spargam toto Nomen in Orbe tuum.
Assiduisque Deum precibus, Divosque lacessam
Incolumen servent teque tuosque diu.
Te longum fido LODOVIX utatur Amico
Hunc pace, hunc bello, mente, manuque juves
Hostibus ut domitis ineat connubia, Cælo
Auspice: mortales progeneretque Deos,
Vincula Gradivo quatuor jam lustra furenti
Injiciat, nulla dissolvenda die:
Cana fides populos terras Astræa revisat;
Et referant gratas otia longa vices.



IN OBITUM
ENEMUNDI GUALTERII
INSIGNIS CITHAROEDI;
EPICEDIUM.

*

GALLICUS Amphion jacet hic Enemundus, Amico
Nulli flebilior, quam mihi GUALTERIUS;
Ille graves persæpe cava Testudine curas
Lenivit, dulces addocuitque modos.
Saxa movere loco potuit. Fluviosque rapaces
Sistere Threicii chorda canora Ducis,
Callidus hic regnantum animos, auresque magistro
Pollice

Pollice, & arguta detinuisse fide.
Quin ego funereas cithara potuisse sorores
Flectere crediderim, mors nisi surda foret.
Non omnis tamen interiit, meliore superstes
Parte sui, multo regnat in ore Virum.
Regnabitque, artes donec colet Orbis honestas
Dum colet humanum musica plectra genus,
Ossa tegit natale solum, Mens libera cælo
Hospitat, æterno qua micat igne Lyra.

ILLUSTRISSIMIS D.D.

ABELI DE SERVIEN ET NICOLAO FOUCQUET ÆRARII DUUM VIRIS

LIBELLUS SUPPLEX.

JAM prope bis senos Quæstoria capsula menses
Asservat Domini pollentem nomine chartam,
Annua quæ nobis, detracto ex Asse triente,
Quæstorem præstare jubet: negat ille daturum,
Ni Regis placito subscribat uterque Duumvir
Ærari, quorum arbitrio, curaque fideli
Tam dignis patet, ac indignis clauditur Arca
Principis, ingentes aurique flagellat acervos,
Scilicet amborum assiduo distenta labore.
Ergo mihi date vos faciles, decisa petenti
Quæ LODOVIX alimenta parens, Diplomate sanxit,
Quæque Patrem referens Natus solatia præbet:
Nec sinite hunc vestrum, mediocri debita quamvis
Præmia virtuti, sic mendicare Clientem,
Aulæ quem lecti Proceres plerumque benigno

Lumine respiciunt, Heroum clara potentem
Carmine, victuris inscribere Nomina Fastis;
Quinetiam, patrio vestis cui murice candet,
IULIUS ipse aderit fautor, quo Præside rerum
Gallus ovat; metuetque sibi bellator Iberus
Post paulo exitium, & pacis præludia poscet.



NOBILISSIMO

ERUDITISSIMOQUE VIRO

HUGONI LYONNE(

TORQUATI

UTRIUSQUE ORDINIS

COMMENDATORI

Nec non ejusdem Collegij su:
mo Ceremoniarum Arbitrc

Ut inchoati a se beneficij gratiam apu
Ærarij Duum viros, qua cœpit anim
propensione velit absoluere.

*

TE nostri recitante modos gustasse Libell
Quem penes est sacræ Arbitrium, & cu
Gazæ
Tot clarum ABELEM meritis, mihi nota,t
Lustralis propior consanguinitate Luvacri
Narravit blando arridens sermone puella,

Cui formæ decor, & nivei cognata pudoris
Simplicitas, candorque, haud paucos fecit Amantes,
Meque adeo pridem sibi conciliavit Amicum.
Visa mihi è doctis adstare Sororibus una,
Tristitiamque, metumque animo sic depulit omnem;
Dum retulit, te, nempe, mei meminisse, meæque
Versiculos laudasse, & vota precesque Thaliæ,
Verbis, quæ valeant quoque nugis addere pondus.
Quod superest, te nostrarum tutela, decusque,
Et columen rerum, per casta biverticis oro
Numina Parnassi, per & usque virentia Pindi
Culmina, perque haustos avido tibi gutture fontes
Aonidum, primis quibus es lætatus ab annis;
Denique per si quid placui, vel Appolline dignum
Aptavi Citharæ nervis; cœptum alite dextro
Exige opus, Vatique tuo mala tædia longæ
Tolle moræ, ac lenti sufflamina discute tandem
Quæstoris, qui me toties spe lusit inani
Frendentem, questumque palam Iovis irrita jussa,
Et misere absumptas prandentis ad ostia luces.
Siccine perpetuis, dixi, damnata tenebris,
Informique situ, ac fœdo squalore prematur
Pagina, cui Nomen Iuvenis toto Orbe tremendus
Appinxit LODOVIX? hanc tu Vir maxime, Blattis
Eripies, mox inspectam Præfectus uterque
Ærarj, adscripto per te, mihi nomine reddet.



AD ERUDITISSIMUM NOSTRIQUE STUDIOSISSIMUM JUVENEM, FRANCISC. LIGNERIUM.

ODE.

Non me sic placido videt
Suaves docta modos lumine Pieris,
Latose dedit potens
Castigata adeo fingere carmina,
Ut palmæ pretium mihi
Clarus postgenitis invideat Maro;
Romanæque Parens Lyræ
Nostros, grande aliquid, versiculos putet;
Utrumque ut Superi velint
Alma, quod cupiam, Luce iterum frui.
Tantis desine me, precor,
Commisisse Viris, quos timido procul
Sat cuivis pede subsequi.
Nobis ut tribuas plus nimio, tuus
In nos, nostraque amor facit,
Quem nullis doleo promeritum mihi
Antehac officiis, neque
Spes quandoque vices reddere mutuas;
Et cantus numeris pares,
Quos gentilitio flore decentius
Virgo quæ nitet obtulit;
Hac, nulla articulis tinnula blandius

Curvæ ſila movet Lyræ,
Aut vocis liquidæ, cum fidibus, ſono
Aures atque animos tenet.
Cui non grata forent munera, amabili
Nymphæ quæ data ſint manu?
Ut verum loquar, acceptior hinc mihi
Quamvis immerito obtigit
Tot laudum ſeries, & capiti additum
Per te inſigne decus meo.
At certe immodicis noſter honoribus
Extolli metuit pudor;
Debetur meritis, Laurea, principum
Vatum, me quibus imparem
Agnoſco, tenuis conſcius ingeni:
Quod ſi noſtra virentibus
Sertis collibuit cingere tempora,
Myrtis adde roſas breves,
Dum curas Juvenum dicere, & anxiis
Ægrum pectus amoribus,
Nec non ſidereis ignibus æmulas
Urentis Dominæ faces
Inter vica placet libera, & obviis
Conditas ſalibus dapes:
Quin udam foliis dum calet Evius,
Frontem pampineis preme,
Si deſint, ederis ſtringe ſequacibus
Vatis Cæſariem vuidi;
Nam ſiccum exanimant ſollicitudines
Bellique ancipitis metus,
Quando hinc arma fremunt extera, civicus
Hinc vaſtat Patriam furor,
Noſtrorumque ſua in viſcera, pro pudor!
Accinctæ Procerum manus.
Æquiſne hæc oculis ſobrius, heu, meæ
Spectem funera Galliæ?
Vinci neſcia Gens nuper, & Arbitra
Regum, ſiccine proprio,


Qua ſternendus Iber robore corruas ?
  Sed me longius hic mei ,
Oblitumque tui , diſcruciet dolor ,
  Triſtes ni querimonias ,
Luctuſque amoveat lætitiæ dator ,
  Et menſæ , Genius , comes.
I , deſcende puer ; prome reconditos ,
  Belnenſi latices cado ;
Iam-nunc proſiliat robore fiſſili
  Maturus ſtomacho liquor.
At , ne munda parum pocula nauſeam
  Et bilem moveant , cave :
Fac rore aſſiduo plurima lacrymet
  Cryſtallus , procul Hadriæ
Quam mittit ſinus ; at pulchrior aſpici
  Cum plena irrubuit mero
Quo mens incaleat , venaque lætius.

EMINENTISSIMO
CADINALI
JULIO MAZARINO
IN OBITUM PARENTIS.
ODE.

*

Ergo Parentis Julius vicem optimi
  Dolebit æternum pius ?
Nec ulla finem temporis dabit mora ,
  Modumve ponet lacrymis !
At ille quantas corporis vitat cruces ,
  Luciſque quot faſtidia ,

Annos agentem pene vicenos quater
Quem parca vivis eximit.
Benigna certe Fata rectius voces
Quæ tot malis obnoxiam,
Et quod malorum pessimum est, dementiæ,
Minore paulo contrahunt
Gyrò senectam, tristis ante luridos
Quam languor artus occupet;
Formamque vivi præferens cadaveris,
Suis, & horrendus sibi,
Atras lacessat questibus vanis Deas,
Quod se morentur perdere,
Male ominato terreat visu obvios
Furvæ Cliens Proserpinæ.
Feliciori sorte nuper hinc tuus
Ad astra migravit Pater,
Frui virente cui senecta contigit
Et rebus apta maximis;
Cui mensque sana perstitit novissimum
Ad usque vitæ spiritum.
Tu Roma testis, ipsa testis Gallia
Quam sæpe flagranti licet,
Et inquieto Gallicæ rei Statu,
Probavit efflictim sibi
Suoque longe chariorem JULIO,
Qui Rege pollens auspice,
Late patentis Imperi negotia
Frendente Ibero sustinet.
Hunc innocentis culta vitæ semita,
Et prisca morum sanctitas
Perambulantem siderum igneas domos,
Et celsa Divorum atria
Beatitatis duxit ad fastigium
Quo sola virtus evehit.
Certe perenni Cælitum consortio
Deflere gaudentem, nefas:
Satis superque luctui datum hactenus,
Compesce, JULI, lacrymas.



AD

ILLUSTRISSIMUM VIRUM

NICOLAUM FOUCQUET

IN SUPREMO GALLIARUM SENATU

RATIONES REGIAS

PROCURANTEM,

NEC NON

ÆRARII PRÆFECTUM.

EPISTOLA.

Ut decem & sex disticha pulcherrimis totidem Statuis, quæ villæ suæ porticum elegantissimam exornant, accommoda; libens accipiat, ac, si videbitur, saxis incidi jubeat.

APTA bis octonis placidus lege disticha Signis,
Impariter juncto quæ lusit carmine Musa,
Dum fictos stupeo vultus, animataque saxa;
Hic ubi vicino surgens nova porticus agro
Tot præbet formosa tuæ spectacula Villæ.
Suave graves illic nonnumquam ponere curas,
Rara suburbani dum captas otia ruris:
Nempe animus vasta rerum sub mole fatiscens
Deficiat, multo ni pectora fessa labore
Paulum alterna quies recreet, viresque ministret
Usque novas, tibi præcipue, cui Regia Gaza
Credita, cui Fisci rationes, juraque subsunt,

Quemque nimis longi, proh ! cæca insania Martis
Uberiore adigit cumulare Æraria censu.
Ne tamen assiduis bellorum sumptibus impar,
Et graviore oppressa jugo Provincia clamet
Rite caves, neve Exactor, rigidusque Satelles
Jussa recurrentis dum colligit Æra tributi,
Sæviat asperius, messes, armenta, gregesque
Auferat, immeritosque adeo compellat Agrestes
Vincla pati, & tenues in carcere ponere vitas.
Id visum crudele nefas, tibi scilicet æque
Sollicito ne qua princeps, populusque laboret;
Sic etenim amborum procuras commoda, ut unus
Sentiat, atque alter merito te jure Patronum,
Et doleas indignus eget, te divite, si quis;
Deque tuo non parce inopem solere, juvesque;
Securus propriæ tumeat dum principis Arca.
Muneris hinc gemini LODOVIX tibi cessit honores,
Purpurei hinc Proceres, hinc te sibi vindicat Aula
Et varios mire solertem assumit in usus,
Prosequiturque pari studio veneratur, amatque:
Idque vel ipsa palam, quamvis invita, fatetur
Invidia, id nostras haud mendax fama per urbes,
Atque adeo totis jam Gallia personat oris.
Nimirum tu quod Patriæ, quod publica poscit
Utilitas, Regnique decus, quod jura, Pudorque,
Sanctaque Religio, & prisci reverentia cultus
Suades non timide, moliris graviter, urges
Strenuus inceptum, nec res, & idonea rebus
Cunctando momenta teris; te Judice, nemo
Conqueritur plures, dilata negotia in annos
Damnosa torpere mora, & vanescere in auras.
Nulla supercilij gravitas morosa Clientem
Alloquio prohibet, cuivis par copia fandi,
Nec facili removet Cives a limine torvus
Janitor, ac turpi miscet mala verba repulsæ.
Polliciti te certa fides, te pectus Honesto
Incoctum, fallique, & fallere nescia Virtus,

Ingenii commendat amor, ſtudiumque Camœnæ
Non vilis, ſed quæ Cælo donare Quirites
Poſſit, & æternæ committere Nomina famæ.
Atque hæc, tot meritis licet inferiora loquuto
Sufficiant, olim forſan, modo vita ſuperſit,
Et faveas, te digna novo canet auſpice Vates.
Nunc itaque, ut primæ reſpondeat ultima chartæ,
Claudaturque brevis quo cœpit Epiſtola ſenſu,
Curia dum, feſtaque ſilent Æraria luce,
Dum liber curis animus vacat; inſpice noſtra
Num bene quæque ſuis aptentur diſticha ſaxi.

JUPITER.

Nil purum ſceleris pectus mea Fulmina terrent;
Exanimis pallet fulgur ad omne reus.

JUNO.

Spirat in hoc ſaxo Divum Regina, ſuperbe
Ingrediens, Coniux, & Jove digna Soror.

NEPTUNUS.

Æquoris irati ſpeciem, fremitumque, minaſque
Phidiaca hic poſuit nobilis arte manus.

AMPHITRITE.

En tibi compoſitis ſtrati maris otia ventis,
Arridens blando quæ facit ore Dea.

PLUTO.

Torva Deo facies, Majeſtas dira, triformis
Janitor, Infernum dant tibi noſſe Jovem.

PROSERPINA.

Nequicquam Æthneis mater me quærit in arvis,
Tartareus Sponſam quam ſibi raptor habet.

SATURNUS.

Falce potens, ac dente vorax, licet omnia carpam,
Quæ venit ingenio fama, perennis erit.

CYBELE.

Magna Deum mater turrito vertice, rerum
Semina clauſa ſuo promit, alitque ſinu.

MERCURIUS.

Me celeri mandata Deum perferre volatu
Juſſit, & Eloquij fundere mella Pater.

FAUNUS.

Non moritur ſimilem ſibi qui poſt fata relinquit;
Indignus vixit qui ſine prole jacet.

PALLAS.

Prognatam Jovis è Cerebro ſapientia monſtrat;
Belligerem capitis tegmen & haſta Deum,

BACCHUS.

Magna triumphatis mihi gloria venit ab Indis.
Non minor at curas vincere poſſe graves.

HERCULES,

Per me Terra caret monſtris, formidine Gentes;
Sic mihi biſſenus contulit aſtra Labor.

FLORA.

Forma decens oculos, nares demulcet odorum
Copia, & æternò Ver mihi flore tepet.

HEBE.

Grata Jovi quondam miſcebam pocula, ſed
Neſcio qua phrygius depulit arte puer.

LAOCOON.


Heu miſerande parens! lethali ſolvere nexu
Corpora Natorum, palladis ira vetat.

ABSTERSÆ PRINCIPIS EMINENTISSIMI JULII MAZARINI LACRYMÆ

Super immaturo Sororis optimæ ac ſubinde Nepotis amantiſſimæ Obitu.

REGNANTUM pertæſa domos, Aulæque fugaces
Delicias, JULI migrat ad agra Soror;
Qua non inſigni pietate, & Stemmate priſco
Inter Romanas clarior ulla Nurus.
Haud tamen hinc fati aſperitas ſatiata, recenti
A partu Neptem mors quoque ſæva rapit:
Non tulit elatas Matrem Natamque prope uno

Funere, quem Latij muricis ambit honos:
Solvitur in lacrymas Princeps; lucemque perosus,
Parte sui media vult pereunte mori:
Non thalami juvat alma quies recreantve jacentis
Apponi solitæ corpus inane dapes.
Non privata salus, non illi publica curæ:
Quin Sceptris inhians sibi plaudit Iber.
Tum LODOVIX, simul ANNA parens, lacerataque vestes
Gallia, proh! tantum Di prohibete nefas.
Plebs una & Proceres non surda lacessere votis
Numina; nil tantæ non valuere preces.
Abstitit Heroi mœror, sensimque resumptis
Viribus, Imperij rebus, ut ante, vacat.
Adde quod extinctis ambabus Nympha superstes
Nubit Dis genito, mox genitura Deos:
Intempestivi sponsæ inter gaudia luctus,
Invitatque hilares tæda marita jocos;
Iam cantatus Hymen, jam festo Regia plausu,
Et strepit EUGENII Principis alta domus.
Hoc longum precor incolumi nova Nupta fruatur,
Et videat sobolis pignora uterque suæ.
Interea Pacem maturet Avunculus ingens,
Det lætos Populis, & sine nube dies,





IN CHRISTINAM SERENISSIMAM SUECORUM REGINAM

Postquam deposito sponte Imperio Catholicæ Fidei dogmata professa est.]

EPIGRAMMA.

*

MULTA quidem de te cecinit mihi sæpe voce
Aonii Princeps Calliopæa Chori;
Plura tamen dictis, quin & majora supersunt,
Mollibus id Cytharæ non referenda modis.
Depositos Fasces ob Religionis amorem,
Quis, nisi divino percitus igne, canat?
Scilicet id tantis deerat virtutibus unum,
Subdere Romano Regia colla Patri.
Discite quos Regni sitis insatiabilis urget,
Esse aliquid Sceptris majus, & imperio.



AD EMINENTISSIMUM PRINCIPEM JULIUM MAZARINUM

De restituta Regi sanitate

ODE.

REGEM non dubiis prospera nuntiis
Salvum fama refert; I. puer ocyus,

Deprome è veteri lene merum cado
Et profer calyces virgine rofcidos,
Lympha, non aliter, me licet Arbitro,
Succos nectarei ducere Liberi;
Nunc potare decet, nunc dapibus juvat,
Et feſtis animi gaudia plauſibus
Teſtari; Lodovix convaluit, ſui
Jam votique reus, ſolvere debitas
It grates Superis, regiaque integræ
Portat dona libens, Sceptraque Virgini,
Carnutum populus quam veteri colit
Fano conſpicuam, & flectere nobilem,
Caſtis quem peperit viſceribus Deum.
Quid dulci melius provida Numina
Concedant Patriæ? reddita Principi,
Reginæque ſalus, quæ velut anxia
Pullos ſervat avis, ne malus appetat
Implumes coluber; ſic Domino parens,
Et cuſtos metuit ſedula Filio,
Quo nunc omnis ovat ſoſpite Gallia,
Europæque ſibi quem cupiat Ducem.
Nunc curæ valeant, & querimoniæ,
Triſtes atque metus; luctifica agmina
Morborum, ire procul, rectius impias
Vaſtatura domos, arvaque Biſtonum,
Terra qui Venetos, & pelago premunt.
At tu, magnanimi cui Juvenis datum
Aſſediſſe thoro, dum foret acrior
Morbi dira lues, & lacrymis genæ
Rorarent; faciant, o ſuperi diu
Poſthac incolumi principe gaudeas:
Id mecum aſſidua, plebs, Equites, patres,
Aris appliciti ſollicitant prece;
Ac te conſiliis; & gravibus parem
Attollunt, merita laude; negotiis,
Seu bellare placet, clauſtraque longius
Proferre Imperii; condere ſeu bonas

Paces, & gladios vertere falcibus
Regni poſcet honos, & tibi publicæ
Dudum ſumma Rei, curaque credita,
Felix ſorte tua! quem, Domino auſpice,
Belli ſuſpiciunt, pacis & arbitrum
Gentes finitimæ; quem toties ſibi,
Fatalemque ſuis arcibus, æmulus
Expavit trepidis cum Sociis, iber.

AD
EUMDEM
In præmaturam mortem Alphonſi Mancinij Nepotis.

ODE.

*

QUID debeas ô Gallia, ſoſpiti
Poſt tot ſuorum funera; JULIO;
Qui noſtra decantet recenti
Pieris examinata caſu?

Eheu metentis cuncta neceſſitas
Invicta fati! non teneræ decus,
Et flos inventæ, non Deorum
Stirps rigidas repulit Sorores.

Te, lucis ipſo in limine, proh dolor!
Tanti Nepotem ſpes & Avunculi,
ALPHONSE deflemus jacentem
Quo ſoror, atque parens ſepulchro.

AD EUMDEM,

EPIGRAMMA.

SUAVE mihi, fateor, quod dicar Horatius alter
Dum tua Romulea concino facta Lyra:
At Mæcenatem ni præstes optimæ JULI,
Quantulus est sine te nominis hujus honos?



SPECTATISSIMO VIRO JOANNI BAPTISTÆ COLBERTO REGI A SANCTIORIBUS CONSILIIS

PROSEUCTICON.

NI faveas, adsisque tuo, COLBERTE, Clienti
Det ventis steriles nostra Thalia modos;
Hanc licet augusto commendet JULIUS ore,
Et mea non tristi carmina fronte legat;
Tot tamen usque graves agitat sub pectore curas,
Vatis ut ille sui vix memor esse queat.
Tu, cui nosse datum mollissima tempora fandi,
Ardua cui Domini Regia, Mensque patet;
Dexter ades, facilemque mihi da principis aurem,
Ejus & alloquio, dum juvat hora, frui.

H

Annuis, ô factum bene! sed pro munere tanto
Quas referat grates, quidve Poeta roget?
Ut longum acceptus Domino, Regique, Tuisque,
Impletis centum messibus, astra petas.



HOC Carmen meo rogatu fecerat vir eruditus, ac mihi non stili modo nitore, & elegantia, sed morum suavitate charissimus: ut suppleret Epistolæ vicem in Thesibus, quas lætæ, ac ingentis spei adolescens Abbas Chavinius, Eminentissimo Cardinali nuper dicavit. Verum literator nescio quis male feriatus, pulcherrimum Ingenii fœtum ausus est corrumpere; dum surrepto uno, aut altero Vatis emendatissimi versu, reliqua de suo intexuit: hoc est aureis ærea non permutavit quidem, sed miscuit. Audax ineptissimi plagiarij facinus non aliter vindicandum censui, quam si genuinum, & integrum amici mei opusculum placeret typis excudi, ac sic omnibus politioris literaturæ studiosis facilius innotescere Meminisse oportet in Thesium fronte expressam esse, laudatissimi cælatoris manu, Argonautarum expeditionem; inter quos duo præcipui sese oculis ingerunt, velleris aurei raptor Jason, & Orpheus cithara canens Cæterum, quam ingeniose, quam feliciter res adeo remotas, & à seculi nostri moribus alienas, Herois Eminentissimi factis aptaverit poeta, æqui lectoris esto judicium,

LUD. HENRIC. BRIENNÆ COMES.




EMINENTISSIMO PRINCIPI

JULIO MAZARINO.

S. R. E. CARDINALI.

CONSILIO, factisque; domi, bellique potentem
Expavit te stratus Iber; didicere cohortes
Austriacæ vinci indocilem, Rhenique subactus
Accola, & assiduo Gens Marte exercita Belgæ;
Doctus & Eridani potor, malefidaque Manto,
Formidare tuos, LODOICO Principe, Fasces.
Sensit te Alcidem nuper contusa rebellis,
Et capitum hydra ferax; te sensit Iasona, raptis
Arbore fatali exuviis, & vellere fulvo,
Tot sibi qui domitas urbes ereptaque Regna,
Et procul advectæ queritur cunctantia lamnæ
Pondera, quæ medio, per te, ratis æmula ponto
Occupat,& jussos prohibet contingere portus.
Hinc sibi te placidum Geticæ colit Arbiter oræ,
Sarmataque infensum nolit, Danusque tremiscat,
Pallescant Socij, promissaque Cæsaris arma.
Nec, si vitales iterum sub luminis auras
Threicius redeat Vates, Phœbique Sacerdos,
Quem fama est cecinisseDeos,puerosque Deorum,
Magnanimosque Duces Argivæ robora Pubis,
Te, quanto decet ore,canat;Populisque verendum
Nomen, & ambitis IULI caput inserat astris.
Mene his certantem auspiciis,hoc Numine tutum
Adversæ moveant acies? quin læta triumphi
Spes, & honos, nitidisque affulget Gloria pennis,
Dum vires, additque animos præsentia tanti
Herois, cui tot debet mea Gallia palmas;
Cujus & æternos meritis sacravit honores,



NOBILISSIMO JUVENI

LUDOVICO
PHELIPEAUX

PATERNÆ DIGNITATIS

CONSORTI,

SUCCESSORIQUE DESIGNATO.

*

QUOD tibi florentes nondum lanugine malas
 Vestito, Patrium munus obire datum est;
Hoc, morum ingenuus candor; maturius annis
 Ingenium, & multa Palladis arte madens;
Hoc, Patris evincere preces, perspectaque dudum
 Temporibus dubiis, non sine laude, fides.
Egregium, flore hoc ævi, te rebus agendis
 Ferre parem, atque Senum promeruisse decus.
Macte alacri virtute puer, gentile capesce
 Fortis opus, magni jussa facesse Jovis.
Te Pater, & Patruus, necnon Avus excitat author;
 Quisque sibi emensum monstrat honoris iter.
ANNA tibi, Latioque favet spectabilis Ostro
 JULIUS, Imperij, quo duce, tuta salus.
Ergo valere jube Collis celebrata Latini
 Castra, Patris socium recta paterna decent,
Tecta Palatinas inter pulcherrima Sedes,
 Quæ tollunt Domina celsius Urbe caput;
Hic, longum, precor, assideas Collega Parenti,
 Cui veniat lento cana senecta gradu.



ILLUSTISSIMO VIRO

NICOLAO FOUCQUET

SUMMO

GALLICI ÆRARII

PRÆFECTO, &c.

Postulat, ut sibi in regiæ familiæ numerum adscripto, Annua in posterum numerato solvantur.

SERMONIS Latij Interpres te Regius unum
Hoc rogat, ut sibi quæ Princeps Diplomate sanxit
Annua, percipiat quo regia turba canentum
Seu fidibus, seu voce capit stipendia ritu;
Ac pendat faciles, per menstrua singula, nummos,
Qui Symphoniacis, Tonsoribus, & Citharœdis,
Mercedes solitas, nullo sufflamine, præstat.
Id nostræ decus, & præsens tutela Camœnæ,
Qui rerum, invicto sub Principe, tractat habenas,
Certaque pollicitæ maturat fœdera Pacis,
JULIUS, annuerit grate; Vatemque superba
Quæstorum, sine fine pati fastidia nolit,
Ac totos perstare ad mancipis ostia soles,
Supplicis in morem, prope mendicare coacti,
Quæ bonus Ingeniis LODOVIX alimenta ministrat.
Tu, Dominæ custos, atque arbiter optimæ Gazæ,
Probrosum, & studiis inimicum tollito morem,
Ne posthac sint mille tuo subeunda Clienti
Tædia, mille moræ, neu compellatur eamdem
Ire, redire viam toties, seniorque pedesque.

Tum mea, victuro forsan te carmine, ad altas
Euehet Heroum sedes, totumque vetabit
Musa mori; neque enim nobis præcordia finxit
Cornea, & obtuso resides in pectore fibras
Alma parens natura, & sideris aura benigni;
Ast animum officij memorem, dignasque referre
Sollicitum ac docilem, tanto pro munere, grates.

AD

EUMDEM,

OCTASTICHON.

JAMDUDUM, Vir summe, tuas extollere Valles,
Non prius audito carmine, Musa parat;
Sed me non patitur tristi mens anxia cura,
Exigere inceptum, quo pede cœpit, opus.
Tertius ah! solito sine munere principis, annus
Vertitur, hinc Vatis sollicitudo tui:
Terna jube facilis numeret stipendia Quæstor,
ptotinus ingenij vena beata fluat.





AD EMINENTISSIMUM PRINCIPEM

JULIUM MAZARINUM,

Post confectam a se, mox stabilitam, auspicatissimo Regis Hymenæo, Pacem.

ODE.

RERUM potentem scribere JULIUM
Phœbi Sacerdos audeo, tu mihi,
Regina doctarum Sororum
Calliopæa, fave canenti.

Non semper atro fulgurat æthere,
Gaudetve nimbis Jupiter horridus;
Non semper insanæ fatigant
Velivolum pelagus procellæ;

Haud usque terris invidet aureæ
Lucis parentem fascia nubium
Obducta cælo, nec perennes
Dat glacialis hyems pruinas:

Udo recentes Vere Favonij
Post brumæ inertis frigora amœnius
Spirant, virescentique tellus
Picta sinu, melius renidet;

Jucundiori sol radio nitet,
Cum pene victum deliquio jubar
Mundo laboranti refundit,
Nec medio soror obstat orbe.

Sic vera virtus, gratior emicat,
Utcunque pravis Invidiæ artibus
Celata, mortales revisit,
Æthereoque hilarat nitore.

Fortuna quamvis sæviat impotens,
Vertatque summis infima, tum caput
Attollit, obstantesque late
Proruit imperiosa turmas.

Præsens mearum testis & arbiter
Sententiarum, murice patrio
Spectandus, ac pridem tacente
Invidia, titulisque major,

Omnique laudum munere JULIUS,
Virtute avita, & Stemmate nobilis;
Cui festa, tot debet triumphos,
Gallia, tot LODOVICUS arces.

Non hunc furentis turba licentiæ;
Non diffidentum factio principum,
Urbisque lymphatæ tumultus,
Regis ab obsequio fideli

Deterruerunt: quatenus Imperi
Huic una curæ est, & Domini salus,
Quem pacis, & clarum Duelli
Arbitriis, veneratur Orbis,

Ex quo, virorum te sibi maximum
Admovit, ingens qui Diadematis
Pondus levares, ac frementum
Eumenidum obtereres colubros;

Vinctumque ahenis brachia nexibus
Martem, juberes trans Rhodopes juga,
Hebrique fontes, igne, ferro,
Luctificas iterare clades.

Infecta

Infecta nuper cædibus æquora ,
Amnesque passim mole cadaverum
Stetere , densatisque pingues
Funeribus , maduere campi :

Romanus heros , quidlibet arduum
Sub Rege tanto , strenuus aggredi ;
Abominandam solus audet
Sistere diluviem cruoris.

Iras Potentum , crudaque prælia ,
Terraque motus , & pelago super
Sedasse , præclarum ; triumque
Jurgia , vix dirimenda , Regum.

Quod arma Danus , quod posuit Getes ,
Quod bellicosus Sarmata destitit
Pugnare vicinas ad Arctos ,
Muneris esse tui fatentur.

Hinc & Paterno jam Solio sedens ,
Tranquilla ducit Carolus otia ;
Hinc cœpit , exosus Tyrannum ,
Regia fræna pati Britannus.

Te Christiani nominis impius
Formidat hostis ; suspicit Adriæ
Regnator , insignem , tot annis
Æmula , conciliare Sceptra :

Nec alter usquam jungere myrteas
Lauris coronas , ingeniosior ;
Tædaque , bellantes , jugali ,
Dexterior sociare Gentes.

Advecta , faustis huc avibus , Tagi
Ab usque ripis , alma THERESIA ,
Quæ prole , postpaulo , virili ,
Te faciat , LODOICI , Patrem.

Indo refusum quale ebori decus
Appingit ostrum, lilia quos rosis
Dant mista formosis colores,
Dat placito nova nupta vultu.

Cretam Deorum sanguine comprobat
Oris venustus purpurei decor,
Frontisque majestas verendæ,
Sidereumque oculi micantes.

Antonianis, quo decet ordine,
Cultuque, portis, obvia Civitas,
Gestit, Palatino tepentem
Visere Semideam cubili.

Late patentes vix populum viæ
Cepere, cives tantus, & advenas,
Pompæ triumphalis superbam
Ardor habet seriem tueri:

Huc densa matrum, turbaque virginum,
Huc fervida ætas, & senio gravis,
Aulæque primores, Forique,
Læti animis properare certant.

Hos inter ibat, dignior aspici,
Gentis Togatæ Dux SEGVIERIUS,
Quem nostra jamdudum, canoro
Pectine, ad astra tulit Camœna.

At, quanta Matris gaudia regium
Mulsere pectus! dum Superis pares,
Natumque miratur Nurumque,
Delicias, populique vota.

Ut juvit alto, conspicuæ domus
ANNAM theatro, tot Procerum agmina,
Ostroque fulgentes, & auro
Cernere equos; Equitumque vultus,

Non jam minaci, & torvo habitu feros,
Quales in hostem. Quin, placidi optimam
Regis parentem, teque JULI,
Huic comitem, pariter salutant.

Longas Iberis, o pia Numina,
Præstate Gallis, hoc Duce, ferias;
Imperiis moderentur æquis.

Sic Diva, nervis docta sonantibus,
Æquanda Cælo dicere Nomina,
Pacis datorem MAZARINUM,
Dat memori celebrare cantu.


AD
ILLUSTRISSIMUM VIRUM
D. D.
LUDOVICUM HENRICUM
LOMENIUM
BRIENNÆ COMITEM,
REGI A CONSILIIS,
ACTIBUS, ET EPISTOLIS.
ODE.

Quam Poëta inopino Fato præventus imperfectam reliquit.

*

JAM dudum Latiis juncta sororibus
Euterpe queritur, quod neque proprio,

Nec gentilitio nomine, dulcibus
Compellare ſibi te liceat modis:
Quæ ſit cauſa rogas? hæc: inamabili
Aurem utramque ſono durius afficit,
Inconcinna ubivis aſperitas ineſt.
Nam voces numeris claudere barbaras,
Quam noſti, & colimus Muſa venuſtior
Imprimis vetat, & grande putat nefas.
Hinc Romana parum ſponte vocabula
Moroſi fugimus cautius, ac maris
Evitat ſcopulos navita callidus,
Aut turpes maculas, fœmina candidis
Cultu quæ niveo certat oloribus,
Quæ ſe infert Juvenum nobilium Choris.
  Te ſcribendi eadem religio tenet
Aulæ de puero nempe leporibus
Incoctumque jocis, te nitidi juvant
Sermonis veneres, mundaque caſtitas.
Sed nos ante ſacer Pieridum Chorus
Aſſuetum uſque ſuis fontibus egerit,
Quam te verſiculis dulce fluentibus
Indictum patiar tot titulis parem;
Quem noſtræ caput, & ſpem ſolidam rei,
Quem noſtræ decus, & præſidium Lyræ
Victuris decuit dicere cantibus,
Cujuſquehiſto riis fama pedeſtribus
Jampridem Populos ivit ad exteros.





IN ORTUM DELPHINI.

EXTEMPORALE CARMEN

Quod audito felici Reginæ partu cecinit Poëta paucis ante obitum diebus.

*

ALME Puer formose puer, Iovis aurea Galli
Progenies, magni quem pollens Nata PHILIPPI
Felici enixa est vota inter publica partu;
O salve ingentis LODOICI mascula proles.
Debuit hinc nasci totus cui pareat Orbis.



HYMNUS

Ave Maris stella.

Versu Alcaico redditus.

*

NAUTIS amicum sidus, & anchora,
O Diva salve, Virgineo Deum
Enixa partu, quo beatæ
Cælicolum patuere sedes.

Quam missus alto pertulit Aliger
Audi salutem, Concilia Polo
Terras nocentes, vertat ÆVA
Nomen, ave canat omnis ætas,

Abrumpe mœstis vincula sontibus,
Mentesque sacro lumine recrea,
Averte casus imminentes,
Supplicibus meliora posce.

Ostende Nato pectus, & audiat
Per te suorum vota Clientium,
Qui sortis humanæ misertus
Te potuit Genitrice nasci.

Regina cœtus Virginei, unice
Mansueta, culpas elue, & invicem
Præsta benignos obsequentes,
Moribus & niveos pudicis.

Fac Diva, puri labis eant dies,
Rectaque gressus dirige quo tuæ
Nos prolis aspectu, fruique
Siderea mereamur Aula.

Æterna summo gloria sit patri,
Natoque nec non spiritui Deo,
Numenque tres unum futuris
Posteritas colat usque seclis.

SIC te Diva precor, dum mordax Ilia flatus
Lancinat, & ventris tormina dira premunt.
Has alui sedato cruces, tu cujus ab Alvo
Cunctorum effusa est absque dolore salus.





FRAGMENTA.

IN ORTUM LUDOVICI XIV.

EXTEMPORALE CARMEN.

*

EXULTENT quibus est Francorum nomen amicum !
Gallia lætetur, duplex lætetur & Orbis :
Scilicet, expectata diu, votisque petita
Advenit, LODOICE, dies quæ Patris amandum
Nomen, & optatæ peperit tibi gaudia Prolis ;
Quæque dabit placidas palmis intexere myrtos.
Ergo alacres festis populi indulgete choreis,
Mistaque plaudentum superas tuba vocibus auras
Verberet, & lætis feriat clangoribus aures :
Responsatrices geminent læta omnia ripæ.
Excitosque vocent grata ad spectacula cives.
Quin etiam subito currens, de fonte Lyæus
Purpureos fundat plebi, sua munera, succos,
Liberaque alternis celebrentur pocula mensis.
Abrumpant crebro reboantia tympana somnos.
Perque vias impune tonent Mavortis ahena ;
Lætitiæ testes illustrent tecta lucernæ
Et certent mediis lignorum incendia vicis,
Suscipiantque vices Phœbææ lampadis, atque
Nocturnas superent ascita luce tenebras.
Ædis dum Dominæ sacra fundamenta manebunt,
Et geminæ caput attollent ad sidera turres,
Gloria dum Sceptri vivet, dum Sequana ponto
Lenifluas miscebit aquas, tibi Gallia semper

Illa dies solennis eat redeuntibus annis,
Faustaque perpetuis memoretur in orbe triumphis.

REGIACENSIS DEDITIO, sive Regiacum captum.

INVIDIA rumpatur Iber, fremat Austrius ira
Cæsar, & exultent quibus aurea Lilia cordi
Lilia cognato delapsa insignia cælo.
Hinc superum favor, & proni clementia fati
Has Regum fundavit opes, totque auxit honorum.
Muneribus jampridem Orbi Diadema verendum,
Hinc LODOICE, tuis feliciter omnia votis
Aspirant, & mista Deo fortuna secundis
Gallica, per casus varios successibus arma
Provehit, appensisque tholo delubra trophæis
Civibus ostentant victas longo ordine Gentes.
Scit morinus, scit Belga ferox, quem Marte recenti
Edomitum juga nostra pati, Dominosque priores
Attonita Europe spectat, parere vetustis
Attrebatum caput Imperiis, tot millibus Urbem
Defensam portas intra, miratur, & extra
Tot sociis tutam; spatio superata bimestri
Mœnia, fossarumque moras, excitaque longe
Auxilia atque alacres gemino sub principe turmas.
Hoc Gallæ virtutis opus, cui præfuit alta
Mente sagax, bellique ingens ille, artibus, ille
Cura Deum LODOVIX? aderat par rebus agendis
RICHELIUS, tantæ Dominum qui pondere molis
Pene fatiscentem, curaque operaque levaret.
Fas & militiæ victricis robora cantu
Tergeminos memorare Duces, & nescia vinci
Pectora, queis duri dulce est tolerare laborem
Martis, & intrepido ferrata per agmina vultu
Sanguine

Sanguine venales capiti circumdare palmas.
Egregiæ bellorum animæ? non livida tanti est
Immortale decus pressura oblivio facti:
Quin ætas vos nostra canet, vos sera nepotum
Ore feret soboles, tolletque ad sidera lucis
Contemptorem animum dum Franci gloria sceptri
Mœnia dum paridis stabunt, qua plurimus errat
Sequana, & augustos Regum lavit amne penates,
Sacrabunt memores ingentia nomina fasti.
Tuque adeo quem jamprimum florentibus annis
Exercet Bellona tonans, cui Martia curæ
Fulmina, bellantumque sequi palantia terga
Ære cavo, ætnæos effert dum faucibus ignes;
Quem patriæ, quem Regis amor, quem conscia virtus
Sollicitat, nec te placida sinit esse quiete
Contentum, quo te, tot carmine digna gerentem,
Carmine concelebrem? quæ tam memorabile laudes
Exequent facinus? quæ publica marmora claris
Intercisa notis, spirantiaque artibus æra,
Dux memorande, olim seclis te digna loquentur,
Auspice te partis non inferiora triumphis.
Bis campo commissæ acies, iterataque castris
Prælia turbatis, tanti fuit urbe potiri
Antiqua, triplici ut steterit victoria pugna.
Non alias plures, tantique Hispana sequuti
Signa viri, nec tam variæ simul undique gentes
Armatæ coiere, habitu linguisque remotæ

* * * * * * * * * * * * *

DETESTATIO

BELLI CIVILIS.

QUIs furor? ô Cives, quæ tanta insania mentem
Præcipitat? suadetque pudenda lacessere bella?

Unde repentino discordia nata tumultu
Armavit socias in mutua vulnera dextras !
Anne parum campis fusum est, atque æquore Galli
Sanguinis ? heu ! fessæ languent in prælia vires ,
Nec sufferre valent exhausta æraria sumptus
Bellorum immodicos ; passim deformis egestas
Immeritos premit agricolas , viduata colonis
Squalent arva suis , Domino vix ulla quotannis
Vectigal pendit solitum Provincia , durus
Ne miseros adigat lictor ; parvo empto supellex
Parvo distrahitur rauci Preconis ad hastam ,
Quin etiam vanis abducta armenta , gregesque
Plorantur lacrymis , eadem aut pejora beatas
Fata manent urbes , par cunctas aspera vexat
Pauperies ; totis jam quatuor extera lustris
Arma premunt , inimica parat bellator Iberus
Agmina Vere novo , nec contra obsistere cuiquam
Est animus, quando , quæ summa caputque malorum est ,
Infensæ procerum partes , plebisque , patrumque
Plus quam civili patriam vastare duello,
Atque inspiratos per publica damna triumphos
Hostibus accelerant : ergo tot capta per annos
Oppida , & edomitas gentes terraque marique
Unica , nos ipsi dum cædimus , auferet æstas.
Proh scelus ! arma armis , paribusque obstantia signis
Lilia cognatasque acies , oppostaque fratrum
Castra videre licet ! quæ tanta leonibus Afris
Inseditve lupis rabies , ut cæde suorum
Exultent , lacerosque artus & viscera mandant.
Nocte intempesta Domina subductus ab urbe
Rex LODOVIX, nataque minor fraterculus una
Secessit Regina parens atque Arbitra rerum
Principibus comitata viris , GASTO inclytus illi
CONDÆUSQUE Comes. * * * * * * * .


IN AUGURATIONEM CÆSARIS LEOPOLDI FERD. III. FILII.

ERGONE victrices Aquilas nomenque decuſque
CÆSARIS, Auſtriadum dominandi immenſa cupido,
Hiſpanæque adeo cognata ſuperbia gentis
Afferat uſque ſibi? ferat hoc Germania ſeptem
Clara viris, quorum arbitrio, curaque receptum eſt
Cuncta geri, novus Imperio cum aſſumitur Heros.
Quo tandem veſtra, o Proceres, ſuffragia, vanus
Quo tituli ceſſantis honos? Diadema paternum
Cum nati excipiant, & eodem ſanguine cretus
Imperet æternum, decoriſque & nominis hæres.
En vacua Imperij ſedes, qui ſummus honorum
Fertur apex, digno jamdudum præſide poſcit
Iure premi, belli & pacis qui calleat artes,
Nec non Auguſta qui majeſtate verendus
Danubij, Rhenique ſciat dare jura colonis,
Ipſoſque ante ſtet meritis, atque ordine Reges.
Maturate Viri patriæ monſtrare Parentem,
Atque Orbis dominos potiori credere Faſces.
Iam quæcumque animo ſedeat ſententia, fas eſt
Promere, nunc veſtra refert antiqua tueri
Teutonibus data jura, moras quid nectere inanes,
Quid juvat in tanto cunctari pondere rerum.
Quem legat Auguſtum, Romanorumque ſalutet

Roma potens Regem, vobis jam dicere præſtat.
Id votis ſupplex Europe, id publica poſcit
Poſt tot bella quies, optatæque otia pacis.
Horrida non etenim totum quæ concutit Orbem
Proh pudor! admotoſque agitat diſcordia Reges
Siſti alia ratione queat. * * * * * * * * * * *.

FINIS.





INDEX

Operum Madeleneti.

TABULA.

FINIS.





Privilege du Roi.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra; SALUT. Notre bien amé JEAN BARBOU, Libraire à Paris, Nous a fait exposer qu'il souhaiteroit faire imprimer & donner au public *Gabrielis Madeleneti Carminum Libellus*, *Æsopi Fabulæ selectiores*; *Philippi Labbe Græcæ Linguæ Accentus*, s'il Nous plaisoit lui accorder nos Lettres de permission sur ce necessaires: Nous avons permis & permettons par ces Presentes audit Barbou de faire imprimer lesdits Livres en tels volumes, forme, marge, caractere, conjointement ou séparément, & autant de fois que bon lui semblera; & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de *trois années consécutives*, à compter du jour de la datte desdites Présentes. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs & autres personnes de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance; à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la datte d'icelles; que l'Impression de ces Livres sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie; & qu'avant que de les exposer en vente, les Manuscrits ou Imprimez, qui auront servi de copie à

l'Impression desdits Livres, seront remis dans le même état ou les Approbations y auront été données, ès mains de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en sera ensuite remis deux exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Présentes: du contenu desquelles vous mandons & enjoignos de faire jouir l'Exposant on ses ayans-cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement: Voulons qu'à la copie desdites Présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, foi soit ajoutée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission; & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le treiziéme jour du mois d'Avril, l'an de grace mil sept cent vingt-quatre, & de notre Regne le neuviéme.

Signé, CARPOT.

Registré sur Registre V de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris N. 808. fol. 499. conformément aux anciens Réglemens, confirmez par celui du 28. Fevrier 1723. A Paris le quinze Avril mil sept cens vingt-quatre.

BALLARD, *Syndic*.